DE

TIBULLI AMORIBUS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

GEORGIUS DONCIEUX


Donec erunt ignes arcusque Cupidinis arma,
Discentur numeri, culte Tibulle, tui.
OVID. *Amor.*, I, 15.

PARISIIS

EX TYPIS F. LEVÉ

17, VIA CASSETTE, 17

1887


1837
ARTES
VERITAS
SCIENTIA
LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
E PLURIBUS UNUM
TUEBOR
SI QUAERIS PENINSULAM AMOENAM
CIRCUMSPICE

DE TIBULLI AMORIBUS

DE

TIBULLI AMORIBUS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

GEORGIUS DONCIEUX

Donec erunt ignes arcusque Cupidinis arma,
Discentur numeri, culte Tibulle, tui.
OVID. *Amor.*, I, 15.

PARISIIS
EX TYPIS F. LEVÉ
17, VIA CASSETTE, 17
1887

DOCTISSIMO ET OPTIMO VIRO

E. BENOIST

IN FACULTATE LITTERARUM PARISIENSI

POESEOS LATINÆ PROFESSORI

REVERENTIS GRATIQUE ANIMI PIGNUS

D. D. D.

G. DONCIEUX

DE

TIBULLI AMORIBUS

PROŒMIUM

Me Tibullianos elegos lectitantem dum mira poeseos dulcedo, mirus affectuum calor maxime oblectabat, mens quoque haud raro hærebat in ambagibus, multis dubiis arcanisve de poetæ vita, de carminum condicione, ordine, connexu, de amorum explicatione occurrentibus : atque compertum habui, paucos antiquorum poetarum et tam dignos esse et tantum egere interpretum curis. Ceterum, quærenti interpretationis auxilia ita nunc doctorum commentarii abundant, ut pæne impedimento sint. Ab Jos. Scaligero (1577), qui vir clarus Tibulli tum textui emendando, tum explanandis carminibus (1) primus dedit operam, ad Carolum

(1) *Castigationes in Tibullum*. Post editionem Cat., Tib., Prop. Lutetiæ, 1577.

Lachmann usque (1829), cui debemus firmum editionis criticæ fundamentum, non defuere homines eruditi qui ad intellegendum Tibullum plus minusve conferrent : Brouckusius scilicet (1), Ayrmann (2), Volpi (3), C. G. Heyne (4), J. H. Voss (5), C. Bach (6), Im. G. Huschke (7), accedentibus apud nostrates C. F. Fraguier et J. B. Souchay (8). Sed præsertim circa Caroli Lachmann tempora, vel paulo ante, Germanorum criticorum cohors libris libellisque fere innumeris tentare cœperunt Tibullum (9) :

(1) In edit. Tibulli. Amstelodami, 1708.

(2) *Vita Tibulli*, 1719.

(3) In edit. Tibulli. Patavii, 1749.

(4) In edit. Tibulli. Lipsiæ, 1755.

(5) Præfat. ad translationem Tib. germanicam. Tubing, 1810.

(6) *Epistola critica in Tibullum, Pseudo-Tib., etc.*, 1812.

(7) In edit. Tibulli. Lipsiæ, 1819.

(8) Mém. de l'Acad. des Inscriptions et Belles-Lettres, t. VI, an. 1720; t. VII, an. 1726-1729.

(9) Totum Tibullum prosecuti sunt : W. Spohn, *De Tibulli vita et carminibus disput.*, 1819 ; P. A. de Golbéry, *De Tibulli vita et carm.*, 1824 ; H. Paldamus, *Rœmische Erotik*, 1833 ; A. Dieterich, *De Tibulli amoribus, etc.*, 1844. — *Annotationes ad Tibullum* edidit F. A. Rigler, 1839-1844 ; item A. Græf, 1865. — Varias *Quæstiones Tibullianas* agitaverunt : H. Kempe, 1857 ; N. Œstling, 1860; H. Bubendey, 1864; W. Wisser, 1870; H. Groth, 1872; Ev. Dietrich, 1873 ; B. Ehrlich, 1880. Quibus adjungere par est Fr. Haase, *Disp. de tribus Tibulli locis transpositione emendandis*, 1855; M. Haupt, *Ueber Jos. Scaliger u. d. Umstellung Tibul. Versreihen*, 1857 (deinde t. III *Opusculorum* insertum) ; O. Korn, *Zu Tibull* (Rhein. Musæum, XIX), 1864.

Alii de singulis tibullianorum vel pseudo-tibullianorum operum partibus disseruerunt, scilicet :

De libro I : F. Passow, *De ordine temporum quo primi lib. eleg.*

ex qua multitudine quinque, ut mihi videtur, nomina imprimis discernenda : Dissen, Gruppe simulque Hertzberg et Teuffel, Bæhrens. Sicuti Lachmann, hisce temporibus, in edendo Tibullo princeps evasit,

scripsit Tibullus, 1831 ; F. RITSCHL, *Ueber Tibull* I, 4 (Berichte der sæchs. Ges. der W.),1866; O. RIBBECK, *De Tib.* I,1, 1867 ; O. RICHTER, *Delia, etc.* (Rhein. Musæum, XXV), 1870 ; J. SOURY, *La Délia de Tibulle* (Revue des Deux Mondes, sept. 1872; deinde insertum in ejusdem auctoris *Portraits de femmes*, 1875) ; R. RICHTER, *De Tibul. tribus primis carmin.*, 1872.

De libro II : W. Wisser, *Ueber Tibull* II, 5, 1874.

De libro III : A. EICHSTADT, *De Lygdami carminibus quæ nuper appellata sunt*, 1819-1823; C. STUMPE, *De Lygd. qui vocatur elegiis*, 1867; R. TŒRNEBLADH, *De eleg. Lygd. commentatio*, 1861; W. FUSS, *De eleg. libro quem Lygdami esse putant*, 1867; L. BOLLE, *De Lygd. carminibus*, 1872 ; S. KLEEMANN, *De lib. tertii carmin. quæ Tibulli nomine circumferuntur*, 1876.

De libro IV (Panegyrico vel Elegiis) : PETERSEN, *De quarti lib. Tibul. elegiis earumque auctore*, 1849 ; A. ZINGERLE, *Bemerkungen zu den Sulpicia-Elegien des Tib.*, 1871 ; F. HANKEL, *De Panegyrico in Messalam Tibulliano*, 1874 ; H. HARTUNG, *De Paneg. ad Messalam pseudo-Tibul.*, 1880 ; C. C. KNAPPE, *De Tib. lib. quarti elegiis, inde ab altera usque ad duodecimam disput.*, 1880; POSTGATE, *Tibul.* IV, 13 (lectio apud Soc. philolog. Cantabritensem), 1880 ; G. LARROUMET, *De quarto Tibulli libro*, 1882.

Tractaverunt : F. TEUFEL. *De Cat., Tibulli, Prop. vocibus singularibus*, 1872 ; HANZEN, *De tropis et figuris apud Tibul.*, 1881 ; J. STREIFINGER, *De syntaxi Tibulliana*, 1881. — B. BOZENTHAL, *De re metrica et de genere dicendi Tibulli*, 1874 ; et LUC. MUELLER, *De Tib. arte metrica* (in præfat. ad Teubnerianam Tibulli edit.), 1874. — Denique *De Tibulli codicibus*, omissis pluribus breviorum disputationum auctoribus, M. ROTHSTEIN, 1880, et R. LEONHARD, 1882.

Apparet nomina Gallica in hac enumeratione omnino desiderari, nisi scripsissent de Tibullo A. de Golbéry, J. Soury et G. Larroumet. Prælectiones docti viri E. Benoist, quas in Sorbona olim habuit, typis non mandatas fesse dolemus.

ita principem in eodem interpretando Ludolphum Dissen dicere debemus : quidquid enim hic peccavit, tamen et uberrimo singulorum carminum commentario (1) et amplis disquisitionibus *de Tibulli Vita et Poesi* (in limine edit. Tibul. 1835) plus laudis emeruisse mihi videtur, quam ei recentiores critici impertire solent. Mox quidem prænituit O. F. Gruppe in *Die ræmische Elegie*, 1838, ubi partim a Ludolpho Dissen adscita, partim sua exposuit, cunctam vero materiam acri intelligentia, singulari venustatis poeticæ sensu, stili etiam lepore renovabat. Hunc secuti correxerunt interdum W. Hertzberg (*O. F. Gruppe « die ræmische Elegie »*, Hallische Jahrb., 1839) et W. S. Teuffel (Proœmium translationis Tibulli germanicæ, 1853[2]). Denique notanda sunt Æmilii Bæhrens *Tibullische Blætter*, 1878 : viri sane audacioris, in novitatem et παράδοξα proni, ideoque summa cum diffidentia legendi, hoc tamen haud inutilis quod falsas opiniones nonnullas subverterit, quæ a Friderico Gruppe usque inter doctos invaluerant.

Quod si, super insigniora illorum scripta, omnes dissertatiunculas evolveris quas summatim indi-

(1) Jam Dissen Comment. in Tibullum dederat, in supplemento edit. quartæ Heynii et Wunderlichii, 1817.

(2) Deinde in ejusdem *Studien und Characteristiken*, 1871 insertnm.

cavi, comperies nullum jam Tibulli carmen, nullum versum, nullam prope vocem existere, quæ non venerit in quæstionem ansamque contrariis eruditorum sententiis dederit; neque amplius nobis aliquid intentati sperandum. Atqui, quum nova in medium proferre nequeamus, alius jam nunc videtur superesse labor : ut demum inter tot criticorum sensa deligatur, dispersa conglutinentur, vera sæpius falsis obruta eliciantur; denique rebus aliena opera paratis effingatur integra et, quoad potest, absoluta clarissimi poetæ figura.

Itaque, cum de Tibulli textu, tum de fide operum quæ Tibulli nomine pernotuerunt brevia quædam et necessaria præfatus, illius aggrediar vitæ curriculum; deinceps carminum simul atque amorum (nam canere, amare Tibullo fere unum et idem) recognoscam tempora, ordinem, tenorem; postremo de universa Tibullianæ poeseos indole atque arte paucis absolvam.

PROLEGOMENA

I

DE TIBULLI TEXTU CONSTITUENDO

Vix ullus est inter Romanos scriptores, cujus textus criticam sollertiam magis requirat quam Tibulli : cum et omnes, quos adhuc habemus, codices (1) novicii sint omnimodisque vitiis inquinati, et corruptis illis codicibus qua ratione utendum disputetur. In iis textus Tibulliani difficultatibus, nuper M. Rothstein (2), deinde R. Leonhard (3), aliquando consentientes, alias invicem adversantes, rectam crisis factitandæ viam monstrare studue-

(1) Certo tamen docemur (Haupt, Bæhrens) circa medium sæc. XIV Tibullianas chartas doctorum manibus versatas jam esse : namque G. Pastrengicus (1290-1365), Petrarcæ amicus, in librum *De origine rerum* et quidam Veronensis auctor in suos *Flores auctoritatum moralium* (1329) Tibulli versus transcripserunt, quorum aliqui nullis ex scholiis aut excerptis manare possent. Quæ bona nunc exemplaria vel latent, vel perierunt.

(2) *De Tibulli Codicibus*, Berolini, 1880.

(3) *De Codicibus Tibullianis*, Monachii, 1882.

runt. Quæ viri spectata auctoritate disserebant, jam retractare non meum est ; sed quoniam rei summam intueri non mediocriter interest, utriusque nisus auxilio, de codicibus tum Lachmannianis, tum Bæhrensianis, antea de quibusdam vetustioribus fontibus, pretiosis emendandi subsidiis, breviter expediam.

§ I. DE CRITICIS ALIQUIBUS SUBSIDIIS.

Tria in summam, jure omissis F. Puccii annotationibus (1), nuncupantur :

(*a*. Fragmentum Cujacianum pervetustum (inde a lib. III, 4, v. 65), ab Jos. Scaligero in recensione Tibulli usurpatum : quod cum amissum hodie dolemus, sat bene novimus per excerpta Plantinianæ editioni [1569] a Scaligero ascripta (2). — Fragmentum hoc (quid, si integra charta frueremur !) textus formam longe optimam præbet. Insunt enim perpauca menda scripturæ, conjectura vix una, eaque levissima ; lectiones autem egregiæ (videlicet III, 4, 79 ; 4, 89 ; IV, 1, 55 ; 3, 3 ; præsertim in Sul-

(1) Illæ annotationes, quibus aliquid auctoritatis tribuit Lachmann, quasi de antiquiore libro excerptis, quas Bæhrens vult cognatas Guelferbytano suo fuisse, revera nihil nobis præbent nisi interpolationes nescio cujus novicii Italorum codicis.

(2) Lachmann non habuit ipsius Scaligeri excerpta, sed quæ Heinsius in Aldinam [1515] transscripserat.

piciæ eleg. IV, 5, 1 ; 7, 5 ; 9, 2) : quot et quales si perspexeris, necesse est fr. Cujacianum prorsus a ceterorum codicum grege sejungas.

(*b*. Excerpta Frisingensia, in codice Monacensi sæc. IX, commemorata primum ab Iano Gebhard, Ludolpho Dissen deinde tradita qui parum apte iis usus est, Luc. Mueller (1869) primus diligenter examinavit, et maximi facienda demonstravit. — Non absunt mera scripturæ menda, sive codici originali, sive excerptori, sive posteriori librario tribuendus est error ; paucissimæ vero et breves interpolationes (præsertim *A !* pro *tum*, I, 9, 45 ; *nec* pro *nam*, III, 3, 32, immutandi sensus causa ?) ; eæque, ut videtur, consulto ab excerptore factæ, etsi excerptor, grammaticis plerumque aut poeticis rationibus ductus, interpolatione abstinere solet : ita ut codicem archetypum purissimum fuisse certum sit. Ceterum huic fonti optimas lectiones debemus : exempli gratia, in loco dudum controverso, I, 1, 25, illud *jam modo, jam possim*, quod firmis Mauritius Haupt fulcivit argumentis. Itaque non minus eximia quam fr. Cujacianum, nec minus diversa a vulgaribus codicibus exc. Frisingensia videntur ; eoque magis ad crisim utilia, quod potissimum ad libros I et II attinent, quibus Cujac. omnino caret. Quæ res etiam nos vetat inquirere, num qua necessitudo intercedat Cujacianum inter et Frisingensia, an forte hæc, et illud, et

commune codicum archetypon triplex traditionis genus repræsentent.

(*c*. Florilegia Parisina, 266 versibus constantia, in duobus codicibus reperiuntur, altero dicto Nostrodamensi, sæc. XIII, altero, longe potiore, dicto Thuaneo, sæc. XII vel XIII : quorum Nostrodamensem Ed. Wœlffling, Thuaneum G. Meynke recenter excusserunt. — Excerptor videtur fuisse medii ævi monachus, qui in eligendis locis ea spectabat quæ ad corrigendos mores hominum pertinerent, nonnunquam quæ poetico colore niterent. Multæ ibi interpolandi rationes : quædam enim immutata metricæ elegantiæ causa (II, 3, 40, ad vitandam trisyllabam pentametri clausulam ; IV, 1, 28, ne cæsura fiat in quinto pede hexametri), vel honestatis (II, 3, 35 : *pacem* pro *Venerem*) ; quædam plane omissa, sive non intelleguntur ab excerptore, sive turpia ducuntur ; adde plura ob sensus perfectionem correcta, quando solvitur in excerptis sententiarum nexus vel varia loca in unum conglobantur (I, 2, 87 ; III, 3, 11, etc.).

At prætermissis excerptoris interpolationibus, decem apparent e codice archetypo ortæ : quarum una saltem (I, 1, 43) ubi codices nostri verum exhibent, quod attingi conjectura non facile poterat.

(1) Car. Lachmann et Parisinorum aliquam notitiam habuit per eclogas Heinsii exemplari ascriptas.

Vice versa, plures bonæ lectiones versantur in Parisinis, quæ conjectura ex codicum fonte deduci non possint (I, 9, 23 ; II, 4, 12; etc.). Unde perspicitur a communi codicum parente discrepare Parisinorum archetypon ; non tamen qualiter Cujac. aut exc. Fris., sed ita ut, rite cum codicibus collata, nunc anteponenda, nunc relinquenda Parisina sint.

Fluxerunt a quolibet Parisin. apographo eclogæ Scaligerianæ (Plantinianæ editioni ascriptæ), et excerpta Vincentii Bellovacensis (circiter an. 1250 ejusdem *Speculo doctrinali* inserta) : quod versuum lacunis fit manifestum. At novas illas Excerptorum formas, ipsis præsentibus Parisinis, prorsus respuere par est.

§ II. DE LACHMANNIANIS CODICIBUS.

Car. Lachmann primus veram textui Tibulliano crisim admovit (1829). Qui inter tot interpolatos a *Cinquecentistis* codices quinque omnino delegit, tanquam meliores — vel minus pravos — trium classium testes, scilicet :

1° Eboracensem (A), an. 1425 exaratum, Heinsii collatione tantummodo notum ;

2° Parisinum (B), an. 1423 ex. ;

3° Wittianum (c), Datanum (d), utrumque intra an. 1450 et 1500, et Askerwianum (e) an. 1463 ex. :

quorum consensum littera C significavit, nihil fidei singulis inesse profitens.

Tres hi codices ab archetypo communi (Y in stemmate), pluribus, credo, apographis interpositis, pariter orti sunt, neque ita certe ut bini inter se arctiore vinculo cohærerent. Quod enim si fieret, nonnunquam testis unus adversus binos testes peccantes exhiberet verum quod conjectura attingi non posset. Sed ubicumque A contra BC, B contra AC, C contra AB facit (vide exempla apud Rothstein), rei rationem habes in doctorum Italorum conjecturis. Sequitur tres classes parem ferme auctoritatem habere, et ubi duæ lectiones occurrant, quarum neutra per se evidens sit, eam anteponendam esse quæ duorum codicum consensu nitatur.

§ III. DE BÆHRENSIANIS CODICIBUS.

(*a.* Cum Æmilius Bæhrens codices Lachmannianis antiquiores jamdudum perquireret, primo (1876) duos invenit, Ambrosianum circa 1374, Vaticanum exeunte sæc. XIV exaratos: optimas quidem chartas, nec ceterarum instar « interpolatrices doctorum Italorum manus expertas ». Quare profecto de Tibulli editoribus bene meruit Bæhrens, sed idem nimium gloriatur, quum inventione sua Lachmannianam crisim funditus everti narrat. Etenim ad textus formam quam Vaticanus ille et præsertim


Ambrosianus exhibent mire quidem accedit librorum Lachmannianorum classis secunda, sed non item prima ac tertia : ita ut re vera A et C, quanquam multis interpolationibus fœdati, propriam servent auctoritatem; unus B minimam vel nullam, cum eadem textus forma multo melius Bæhrensianis libris repræsentetur, imo B fortasse fluxerit ex Ambrosiano (1).

(*b*. Non solum familiam Y renovare voluit Bæhrens, sed sub fine an. 1876, cum Guelferbytanus quidam codex in manus ejus incidisset, alterius familiæ X unicum testem jam repertum esse contendit. Guelf. ille, circa an. 1425 exaratus a scriptore scripturam langobardicam imitante, aliquot decenniis post secunda manu correctus (de qua certe non curandum), scatit, tanquam est e sæculi more suspicari, interpolationibus. Hoc autem primo visu insignitur, quod lectiones complures habet cum exc. Parisinis consentaneas. De re non litigatur, sed rei interpretandæ diversa via. Ait quidem Bæhrens, ejusque sectator Leonhard, Guelf. cum Parisinis propterea consentire, quod eodem archetypo (nempe codice quopiam sæc. x Veronensi ?) defluxerit, quo Parisina. Rothstein contra, G. unum esse de Lachmannianorum librorum plebe, quem doctus libra–

(1) Sic Leonhard, cui lubenter assentior : Rothstein tenet Ambrosianum non parentem esse, sed germanum Lachmanniani B.

rius diligenter cum exc. Parisinis contulerit : neque improbanda, ut opinor, hujus argumentatio. Namque, quod ad externas rationes attinet, ostendit et ejusdem temporis librarios sæpius Parisinis usos esse, et præsertim Guelf. tria saltem loca inesse quorum, nisi Parisina adhibita præsumpseris, vix rationem reddas ; deinde, quod ad intimam Guelferbytani indolem, jure Rothstein æstimat nunquam hinc novas utilesque suppeditari formas, quales v. gr. e Cujaciano ; plerasque vero lectiones quas maxime laudandas esse et bonam codicis originem testificari Bæhrens arbitratur, nihil esse demum præter temerarias litterati librarii conjecturas. Itaque, si recte senseris, Guelf. deterrimis vulgaris familiæ annumerabis, nedum istius gratia crisim Tibullianam profecisse putes.

Omnium nunc quos diximus, omisso Guelferbytano, codicum ordo atque necessitudo facile in hoc stemmate cernitur :



Unde patet, in præsenti rerum statu : 1° bonæ Tibulli editionis fundamentum in Lachmanniana recensione (ABC) versari : hoc tamen servato, quod in loco libri B Bæhrensianos Amb. et Vat. usurpare oporteat; 2° talem textum emendandum, ubicumque potest, fr. Cujaciani, nec minus confidenter exc. Frisingensium adminiculis; adhibenda denique Parisina, parcius quidem, ut eorum auctoritas adæquare auctoritatem codicum, non superare videatur.

Ita confecta re, multum abest ut germanum sanumque ab omni parte textum habeamus : sedenim, præter frequentiores lacunas, multa loca adeo depravata manent ut justo sensu careant, passim etiam suspicari est turbatum versuum ordinem esse. Profecto desperatis locis necesse est admovere conjecturæ remedium; at cavendus illorum furor, qui raro felici, sæpius insolenti audacia, Æmilii Bæhrens ad instar, cuncta mutant ac distorquent; non tolerandi præcipue, quicumque inde a Scaligero ad Æm. Bæhrens, levissima specie, versus e loco movent, quin imo elegiam aliam alii discerptam intermiscent (1). Quam confusionem si quis velit æstimare, videat quid apud Scaligerum, quid apud Bæhrens de el. I, 1 acciderit.

Contra Mauritius Haupt, inter ceteros doctos

(1) Vid. Mauritii Haupt dissertatiunculam *Ueber Jos. Scaliger*, *etc.* (in *Opsculorum* t. III).

Tibulli editores (1), prudentissima arte præstat; et ejusdem « editio quarta ab Joh. Vahleno curata (1879) » — tametsi aliqua in emendando timiditate, mea sententia, peccet — ita cum supra dictis regulis congruit, ut omnium adhuc optima habenda sit. Attamen, cum apparatus criticus hic plane desideretur, nupera editione Bæhrensiana, quanquam parum placet, uti plerumque in hoc opusculo visum est.

II

DE FIDE OPERUM QUÆ TIBULLI NOMINE CIRCUMFERUNTUR

Posteaquam ad principium Tibullianorum codicum, prout licet, accessimus, movetur alia quæstio : quatenus primitivus ille codex nobis Tibulli mera reddat opera. Porro Tibulli carminibus pseudo-

(1) Hi sunt, post editionem Tibulli [simul Catulli et Properti] a Scaligero curatam (Lutetiæ, 1577), potissimi Tibulli editores :

I. Brouckusius, Amstelodami, 1708. — J. A. Vulpius, Patavia, 1749. — C. G. Heyne, Lipsiæ, 1755-1817. — J. H. Voss, Heidelberg, 1811. — C. C. Bach, Lipsiæ, 1819. — Im. G. Huschke, ibid., 1819. — F. E. Wunderlich, Gotting., 1819. — Car. Lachmann (simul Cat. et Propert. recensor), Berolini, 1829. — Lud. Dissen, ex recensione Car. Lachmann, Gotting., 1835. — M. Haupt, Lipsiæ, 1853. — Luc. Mueller, Lipsiæ (apud Teubner), 1870, 1877. — Æm. Bæhrens, Lipsiæ, 1878. — M. Haupt, curante Johanne Vahlen, Lipsiæ, 1879.

Nihili autem æstimanda est editio incassum copiosa quam confec

Tibulliana permixta antiquitus esse, dubitari non potest. Quod senties quam facile acciderit, si adverteris primi modo libri elegias vivo Tibullo editas (1); secundum lib. ab amicis, aliquanto post defunctum poetam (ut ex Ovidii epicedio (2), ex ipsa elegiarum condicione patet); reliqua vero — hodie in tertium et quartum librum ab editoribus divisa, initio autem atque juxta codicum scripturam in unum conglobata — serius prodisse in lucem.

De libri I integritate nulla dubitatio fuit unquam, nec esse potest (3).

Nulla de libro II, si exceperis eleg. 2, perperam elegiis de Nemesi interjectam (profecto ob « Cornuti » mentionem, qui etiam in insequenti elegia compellatur) atque conjuncte, ut opinor,

in bibliotheca Lemaire A. DE GOLBÉRY, Parisiis, 1826. Neque mentione dignior B. FABRICIUS, qui nuper (*Die Elegien des A. Tibullus* Berlin, 1881), inconsulte congestis Sigmundi Teuffel erroribus, Æmiliique Bæhrens libitis, mirum in modum Tibulliana carmina deformavit.

(1) Singulas elegias dico, non integrum librum : quem suspicor ob perversum el. 4 ordinem aliena manu collectum editumque.

(2) Ibi enim Ovidius, cum multos Tibulli de Delia versus in proprium carmen transferat, nihil ab elegiis de Nemesi mutuatur, imo versum quemdam ex el. I, 1 lugenti Nemesi tribuit : quod parum verisimile, si præsto secundus liber fuisset.

(3) Prætermitto Fabricii licentiam, qui perpulchras de Maratho elegias Tibullo detrahit (*Die Eleg. des A. Tibullus*, 1881, Einleitung), ob eam causam quod carmina illa in turpiori amore versentur. Ergo nescio cur idem Vergilii eclogam 2, plures Horatii odas, plura Catulli epigrammata non deleverit : sed illa refelli non opus est.

cum lib. IV elegiis de Sulpicia judicandam.

Secus de ceteris. Librum III, sex elegiis constantem — quarum quinque agitur Lygdami cujusdam infaustus in Neæram amor, sexta autem (el. 5) ægrotus poeta absentes amicos alloquitur, — J. H. Voss primus (1786) Tibullo abjudicavit, hodie nemo non rejicit. Imprimis apparet Lygdamum cum Albii nostri persona nihil commune habere (1) : superquam quod Tibullus, quotiens sese in elegiis sive de Delia (I, 9), seu de alia (IV, 13), seu de Maratho (I, 3) nominat, verum nomen solet usurpare, nunquam fictum, omnem dubitandi copiam tollit hoc distichon el. III, 5 :

Natalem primo nostrum videre parentes,
Cum cecidit fato consul uterque pari,

ubi annus 711 (occisis apud Mutinam consulibus) significatur, minime cum vita Tibulli congruus (2). Quod si quis fieri posse contendat, ut Tibullus alienos amores, amici cujuspiam gratia, hic adumbra-

(1) Notaverunt quidem aliqui (Passow, Dissen) nomen « Lygdamum » singulariter cum « Albio » congruere, non prosodia tantum, sed etiam verbi significatione (λύγδος, cf. albus). Quod, vel si credas haud fortuito accidisse, nihil aliud significat, nisi ignotum Neæræ amatorem et Tibulli nomen aliquo modo imitari voluisse ?

(2) De Tibulli natu, vid. infra, cap. I. — Hac impediti difficultate, jamdudum critici qui lib. III germanum putabant pentametrum tanquam spurium ejecerunt (J. Scaliger, Brouckusius, Volpi, Heyne), vel totum distichon (Spohn) : id vero contra cunctas artis criticæ regulas.

verit : istorum amorum non magis scriptorem fuisse Tibullum, quam actorem, ipso opere satis superque demonstratur. Carmina enim illa in summam consideranti, homo videtur morum verecundia laudabilis, in arte autem amandi inscitissimus ; ubi Tibullus molli voluptate calet, frigidus ; ubi Tibullus dolendo delectat, fastidiose lacrimabundus ; ingenium ubique siccum et anhelum ; importuna verborum amplificatio, affectuum vis et progressio nulla ; plurima sive in sententiarum delectu, sive in elocutione quæ certe imitatorem Tibulli servilem, nequaquam ipsum Tibullum denuntiant, veluti præcipue illa funerum futurorum descriptio (el. 3, v. 9-30), ad exemplar el. I, 1 — sed quam fuse et inepte ! — expressa. Si singula verba inspexeris, multa minime Tibulliana occurrunt, nempe : particulæ conjunctivæ Tib. alienæ (*autem*, *ergo*, *quare*, etc.) ; — *quamvis* cum indicativo constructum ; — epitheta quædam in fastidium iterata (*niveus, candidus*, etc.) ; — puerilia paromœa (4, 10, saliente sale ; 69 sq., sonora... sonos ; 5, 2, unda... adeunda ; 25 sq., senecta... senex) ; — colorum oppositiones (lutea... niveum ; candida... nigra ; niveo... purpureus ; etc.), quales ter omnino vel bis (1) apud totum

(1) Bis, si quidem iis (Gruppe, Bæhrens) creditur, qui non inepte *garrula* pro *cærula* ponunt in hoc versu el. I, 7 :

Carnuti et flavi cærula lympha Liger.

Nota epitheton *cæruleus* in inferiore disticho iterum occurrere.

Tibullum, octies in paucis Lygdami versibus reperias. Sin ad artem versificandi venias : cæsura hexametri, quam Tibullus miris modis variare solet, apud Lygdamum uniformis ; sententia sæpius ultra distichi fines producta ; denique imperfecta hexametri et pentametri cohærentia. Quæ cuncta et alia hujusmodi, ne Tibullo lib. III tribuatur, manifesto vetant.

Quisnam igitur Lygdamus ?

Neminem alium ait Gruppe (1) sub hoc nomine latuisse, quam Publium Ovidium (Publius = Lygdamus), huc eo adductus quod plurimæ lib. III locutiones, nonnulla versuum fragmenta apud Ovidium quoque leguntur, imo integer pentameter quo poetæ natalis annus indicatur :

Cum cecidit fato consul uterque pari

existit etiam in *Tristibus*, IV, 10. Sed frustra Gruppe sollertis ingenii acumine, S. Kleemann (2) postea novis eruditionis subsidiis opinionem illam confirmare studuerunt. Cum enim quæpiam utrimque comparia, multa quoque in versificandi ratione discrepantia notare est ; insuper, quæcumque congeruntur externæ verborum similitudines, nihilominus ex intima

(1) *Die rœmische Elegie*, t. I, cap. IV.

(2) *De lib. tertii carminibus quæ Tibulli nomine circumferuntur*, Strassburg, 1876.

poeseos indole liquet, quemadmodum a Tibullo, non secus ab Ovidio abhorrere Lygdamum ; neque hujus certe lentam querimoniam cum levi illius procacique libidine, facilitatem ubertatemque Ovidianam cum jejuna et sicca Lygdami natura concordare posse. Quod concludere licet, æquales ambo poetæ fuerunt, et alter alterum est imitatus: nempe, etsi res nobis miraculo est, Ovidius Lygdamum (1).

Albio Tibullo, Publio Ovidio remotis, cum non magis designari possit homo ortus e græca familia in civitatem Romanam recepta (quod voluit Hertzberg), quæsiverunt eccui alii poetæ Lygdami nota conveniret. Cassii Parmensis, Valgii nomen quidem syllabis quadrat, ætas minime in Lygdamum cadit. Lucium quoque Messalæ filium significari (sic Fr. Haase), neque absurdum, nec sat proba-

(1) Gravius aliquid obstat, ne Lygdamum Ovidii putes imitatorem. Tunc enim necesse foret Lygdamum scripsisse el. 5 post *Tristia* edita, hoc est post an. 768, cum quinquagesimum septimum annum ageret : porro, quo pacto poetam vel stolidissimum credas, eo ætatis provectum, potuisse se « juvenem » declarare mortemque instantem hisce metaphoricis verbis alloqui :

> Quid fraudare juvat vitem *crescentibus* uvis,
> Et *modo nata* mala vellere poma manu?
>
> (El. III, 5.)

Ovidium contra, in imitationem omnium poetarum tam pronum, lectos vel auditos memoria tenuisse Lygdami elegos, nequaquam incredibile est : ipse forsan unus erat amicorum Baiis degentium, ad quos Lygdamus scripsit elegiam 5.

bile videtur. In summa de Lygdamo hoc tantum scimus : juvenem fuisse de cœtu Messalæ, Ovidio ætate parem, Tibulli admiratorem, mediocriter ingeniosum ; cujus sex elegiæ editæ sint una cum tibullianis et pseudo-tibullianis quæ lib. IV continentur.

Liber ille IV primo obtutu inconditus confususque admodum videtur. Oritur a carmine 211 versibus hexametris constante, cui « Panegyricus Messalæ » titulus est : rudè valde ac puerile opusculum, quod plerique docti, Heyne, Bach, Paldamus, Dissen, Lachmann, Hertzberg, Haupt, Mueller, Bæhrens, quorum argumenta nuper H. Hartung (1) sedulo recolligebat, Tibullo abjudicant, pauci tamen Tibullianum contendunt, præcipue Scaliger, Voss, Gruppe, Teuffel, quos F. Hankel in distincto libello (2), G. Larroumet apud nos (3) secuti sunt. Mea vero sententia, lis ea est quæ, firmis utrimque deficientibus argumentis, nunquam dirimi queat. Hoc unum ex tota discerptatione teneo certum : Panegyricum revera an. 723 Messalæ oblatum esse, nequaquam, ut Heyne arbitratur, a rhetore aliquo posterioris ævi scholasticæ exercitationis

(1) *De Panegyrico ad Messalam pseudo-Tibulliano*, Lipsiæ, 1880.
(2) *De Panegyrico in Messalam Tibulliano*, Hal. Sax., 1876.
(3) *De quarto Tibulli libro*, Parisiis, 1882.

causa fictum (1). Quod superest, Gustavio Larroumet assentior, dum singula minuit ab adversariis objecta, negatque ullam rationem esse gravem cur Tibullum asseveremus scribere Panegyricum omnino non potuisse : nam quot quantorumque poetarum initia non meliora novimus ! Sed non eo confidentiæ veniam, ut in ingrato illo poematio, licet nonnullis orationis luminibus ornato, ingenuam agnoscam nostri poetæ indolem. Nec aliud demum dicere velim, nisi : Potest Panegyricus cujuslibet esse, vel imperiti Tibulli ; quanquam est quod miremur, eumdem qui an. 723 illiusmodi versus conflaret jam an. circiter 725 (ut infra ostendetur) præclaros illos de Delia elegos inchoavisse.

Sequuntur undecim elegiæ de puella Sulpicia, Messalæ sororis filia, Cerinthum furtim adamante ; quas in duas partes, origine plane absimiles, dividendas (el. 2 — 6, el. 7 — 12) jam Brouckusius suspicabatur, Lachmann et Gruppe, nemine fere nunc contradicente (2), monstraverunt. Secunda series, quæ constat sex brevissimis Sulpiciæ epis-

(1) Vid. apud G. Larroumet, *loc. cit.*, pp. 33 sq. — Item rejicienda Caroli Lachmann opinio, qui Panegyricum opus esse Lygdami pueri censet.

(2) Attamen C. Knappe (*De Tibulli lib. IV elegiis inde ab altera usque ad duodecimam disput.*, Duderstadt, 1880) et breviores elegias ab ipso Tibullo censet profectas, qui primo in scheda breviter descripserit ea quæ in illo amore magni erant momenti.

tolis (1), ab ipsa Sulpicia certe conscripta est : sapit enim feminam Venere furentem insolens quidam cupidinis æstus ; sapit rudem poetriam durus passim abruptusque sermo, nempe inurbanæ vel solutæ orationi propiores loquendi rationes : *æque fervida... ac videor* (12, 1 sq.), *iter ex animo sublatum* (9, 1), *multum* [*tibi*[2]] *de me permittis* (10, 1 sq.), *mea corpora* (11, 2), etc. ; plura inania verba, modo ad complendos pedes idonea ; impedita quoque vel obscura periodorum constructio (v. gr. el. 7, 7 sq. ; el. 11, 3 sq. ; el. 12, 3-6).

Prior contra series, ubi nunc Sulpicia celebratur (el. 2, 4 et 6), nunc loquens inducitur (el. 3 et 5), leniore, etsi vivido, affectu, item lepidissima verborum concinnitate pollet. Cujus auctor fuit poeta consuetudinis Cerinthi et Sulpiciæ conscius, fortasse a Sulpicia rogatus ut quos ardores ipsa ingenuo incompositoque versu expresserat, exquisitiore arte illustraret : in hac enim serie ejusdem amoris easdem pæne vices evolvi, collatis præsertim el. 4 cum el. 11, el. 5 cum el. 9, comperias. Nec displicet doctorum conjectura qui ad hunc carminum tenorem referunt el. 2 lib. II, ubi Cornuti

(1) Gruppe el. 7 priori seriei annumerat : in quo manifesto erravit, sicut posteriores critici monuerunt. Nomen vero « Sulpicia », in codicibus el. 8 præscriptum, nihil nos de elegidiorum auctore docet.

(2) *Mihi* in cod. : sed obvia videtur emendatio.

natalis agitur, Cornuto « fidi uxoris amores » optantur et ludens « ante tuos turba novella pedes » : quæ, credo, quum disrumpat elegiarum de Nemesi ordinem, extra suum locum nobis est. Quid igitur ? Cornuti, Cerinthi nomina quam optime quadrant. Nonne verisimile est (1) eumdem juvenem, primo Sulpiciæ amantem, poetico nomine Cerinthi, mox Sulpiciæ maritum vero ac sincero appellatum esse ? Ita illorum Sulpiciæ amorum, in carminibus lib. IV imperfectorum, finem hic haberemus: justas nuptias.

Quidquid id est, de priorum carminum auctore vix dubitandum erat, adeo Tibullo digna videntur et Tibulliano colore plena. Quod etiam fatentur qui critici eadem Tibullo detrahunt, hoc nempe objicientes : poeseos vim ibi *objectivam* (ut aiunt) esse, quod apud Tibullum fieri non soleat ; quasi poetæ, quippe cui mos sit proprios sensus exprimere, ingenium et in alienis amoribus semel exercere non liceat ! Forsan et hærebit aliquis in hoc loco el. 3 :

. . . . tecum
Arguar ante ipsas *concubuisse* plagas,

stupebitque quod superbæ « Servi filiæ Sulpiciæ » tam proterva verba a Tibullo juvene tribuantur. Sed

(1) Sed non tam certum quam G. Larroumet affirmat. Cerinthum esse verum Græculi nomen, plures sat credibiliter contenderunt ; et fateor græcam adulescentis originem non male congruere cum quibusdam amatoriæ illius fabulæ condicionibus.

ea non secundum hanc nostrarum litterarum verecundiam judicare decet; verum latini sermonis habenda ratio, qui nota libertate utebatur, habenda etiam Sulpiciæ morum, quæ puella talia ipsa de se narrat, ut illud *tecum concubuisse* illæsis, credo, auribus toleraverit. Ceterum, si quid portentosi videatur habere hæc Tibulli licentia, non perspicio quamobrem ab alio poeta, vel seniore, sit credibilior?

Insequentes eleg. 13 et 14, præter id quod in el. 13 Tibullus se nominatim profert, Tibullum totæ spirant : suus utrique lepos auctoris indicium est.

Denique supersunt duo Priapea, in Cujaciano, teste Scaligero, servata, ceteris in codicibus deficientia, quippe quæ verisimile sit monachos librarios depulisse, obscenitatis materiæ causa, e vulgarium librorum archetypo. Hæc autem opuscula, quorum unum iambis scriptum est, alterum elegis haud Tibulliano ingenio absonis, tribui nostro poetæ nil vetat.

Ne multa, continet liber IV : 1° Panegyricum incerti auctoris (forsan Tibulli). 2° Quinque de Sulpicia eleg. a Tibullo profectas. 3° Sex de eadem ipsi Sulpiciæ tribuendas. 4° Duo Tibulli elegidia. 5° Duo ejusdem Priapea. Porro, qui fit ut collectanea illa sub Tibulli nomine, una cum sex Lygdami elegiis, nobis pervenerint? Hic locum habet Friderici Haase sententia, optime ab Æm. Bæhrens explicata per-

fectaque : cuncta videlicet illa carmina, sive in cœtu Messalæ recitata, sive ad Messalam ejusque familiam pertinentia, diu in ipsius tablino servata esse ; deinde, Messala et Messalino filio mortuis (1), curis alicujus e sodalicio (ipsius ait Hankel, sed non ita probabiliter, Lygdami) commixtim edita, volumini autem integro Tibulli nomen, utpote clarissimi inter sodales poetæ, impositum : neque aliter se res habet de *Catalectis* illis quæ Vergilio, pleraque falso, addicta possidemus. Fraus errorve brevi, procul dubio, apud Romanos litteratos invaluit : testis Suetonius, *Vitæ* Tibullianæ scriptor in qua legimus : « ...Epistulæ quoque ejus amatoriæ, quanquam breves (quid, nisi Sulpiciæ elegidia ?), omnino subtiles (2) sunt. » Unde etiam sequi videtur, ut Suetonii temporibus duo genuini poetæ libri cum posterioribus collectaneis nondum commixti fuerint : quod quando factum sit nescimus ; attamen usque in medium ævum Tibulli exemplaria pervenisse quæ adjecticia parte carerent, e vetere illo berolinensi librorum catalogo, ubi M. Haupt legit « Albi Tibulli libri II », Æm. Bæhrens voluit colligere (3).

(1) Sulpiciæ amores divulgari ab avunculo Messala non potuisse, neminem fugit.

(2) Sic optime Bæhrens (primo minus feliciter *dulces*) : prave in codicibus *utiles*.

(3) Sed probabilius existimo illic cum secundo libro etiam tertium quartumque copulari. Et excerpta Parisina versus posteriorum librorum sub titulo secundi exhibent.

CAPUT PRIMUM

PAUCA DE TIBULLI VITA. ANNUS NATALIS. — DOCUMENTA DE TIBULLO : 1° SUETONII VITA. — 2° HORATII ODÆ ET EPISTULA. — TIBULLI FAMILIA ET ADOLESCENTIA. — TIBULLUS MESSALÆ FAMILIARIS ET IN BELLO AQUITANICO CONTUBERNALIS (724). — CUM EODEM IN ASIAM PERGIT, MOX ROMAM ÆGROTUS REPETIT (725) ; EO TEMPORE CONSUESCIT CUM DELIA. — TIBULLI MORES, STUDIA, FAMA.

De Tibulli persona, omissis que ipse de se in carminibus tradit, paucissima innotuere. Nec natalem quidem annum certo scimus; Ovidiani enim elegi (*Trist.*, IV, 10) :

Vergilium vidi tantum, nec amara Tibullo
Tempus amicitiæ fata dedere meæ.
Successor fuit hic tibi, Galle; Propertius illi;
Quartus ab hac serie temporis ipse fui.

nos tantummodo docerent Tibullum intra an. 685 U. C. (natalem Galli) et an. 708 (natalem circiter Propertii) natum : nisi per quoddam Domitii Marsi epigramma, breviori Tibulli Vitæ præscriptum,

nobis propius ad verum accedere liceret. Quod cum ita incipiat (1) :

> Te quoque Vergilio comitem non æqua, Tibulle,
> Mors juvenem campos misit ad Elysios, ..

sequitur Tibullum sub fine an. 735 decessisse, et « juvenem » quidem, id est non plus quam quadragesimum annum agentem. Quare oportet eum haud ante an. 695 natum esse; vix autem (ut Gruppe, Teuffel, Hankel putaverunt) an. 700, potius an. circa 697, 698, si quidem adverteris an. 724 inceptas esse illas lib. I elegias, tam polita arte, tanta humanorum affectuum notitia insignes.

De poetæ reliquo vivendi curriculo, fontes rari admodum ac tenues. Imprimis præsto habemus breviorem ex duabus *Vitis* quæ in codicibus leguntur (namque altera, serius a nescio quo Hieronymo Alexandrino conflata satisque inepte tum e priore Vita, tum e Tibullianis carminibus collecta, nullius momenti est). Quam scripturam Bæhrens (2), postquam felici arte restituit, maximi faciendam esse monstravit, sciteque conjecit ob narrationis et stili affinitatem e Suetonii nunc amisso *de Poetis* libro deductam. Accedunt — prætermissa Ovidii

(1) Videtur hoc epigrammatium depromptum esse ex ampliore de bonorum poetarum funeribus elegia.

(2) *Tibullische Blætter*, *I*.

de Tibulli funere pulchra, sed documentorum inope elegia — Horatii Ode I, 33 et Epistula I,4 : utraque ad « Albium » scripta, quem latini grammatici nostrum esse Tibullum haud dubitaverunt, omnes hactenus ratum habebant : sed rem cum nuper negaverit Bæhrens (1), paucis hic expedit confirmare.

Albius, qualis ab Horatio depingitur, poeta est « miserabilium elegorum » auctor, « pectore » præditus, « fama » insuper ornatus. Num ergo facile existimetur duos Albios (quod nomen non ita vulgare) adeo pares eadem tempestate floruisse, in promptu est : nec quisquam certe credat, nisi potentissimis coactus argumentis. Talia autem valde desiderantur apud Æmilium Bæhrens. Taceo Glyceram illam in oda I, 33 memoratam, quam nescio cur Bæhrens in amore Tibulli aliquamdiu fuisse omnino non sinat : satis est observare in præsenti (2) ex Ovidii nota elegia (*Amor.*, III, 9), ubi Delia « primus amor » poetæ, Nemesis « cura recens » dicitur, nullo pacto concludi posse, nunquam ejus menti alium subisse amorem. At præcipue insistit Bæhrens loco illi epistulæ I, 4, ubi Horatius ab Albio quærit : Quid te nunc facere dicam,

Scribere quod Cassi Parmensis opuscula vincat ?

(1) *Tibullische Blætter, II.*
(2) Vid. infra (cap. IV) totam de Glycera quæstionem.

Cassium autem accepimus, ait Bæhrens, scripsisse tragœdias, quod sane scribendi genus a Tibullo quam maxime abhorret : versus igitur non pertinet ad Tibullum. Valeret argumentatio, si quidem a docto viro evinceretur Cassium nihil nisi tragœdias, nunquam elegos condidisse : quod cum Acronis grammatici dictis (1) aperte repugnet, mero Quintiliani, mero Ovidii silentio non satis demonstratur. Imo verbum *opuscula* referri posse ad tragœdias præfracte nego ; et illic ne longiores quidem elegias significari credam, potius elegidia vel epigrammata, qualia apud Tibullum reperimus et fortasse Tibullus eodem tempore conflabat.

Nimis levia demum quæ Bæhrens addit : Albii in epist. inducti « divitias artemque fruendi », ejusdem philosophica studia prorsus a Tibulli persona discordare. De divitiis, perpendendum est quid per divitias Horatius, quid per paupertatem suam Tibullus intellegere soleat, et annon uterque in auream illam mediocritatem, poetis caram, conveniat. Philosophiæ autem non incuriosa fuisse et voluptaria ingenia, quis ignoret ? Cui non veniat in mentem maximi nostratium in recentiore sæculo poetarum, qui tam mollia de suis amoribus, de natura rerum tam sublimia canebat (2) ? Albius ille, quem sen-

(1) « Elegiæ et epigrammata ejus laudantur. »
(2) Andreas Chénier.

timus ex Horatii epistula (v. 12-16) Epicuream sapientiam non imam scrutari, sed potius summam attingere, liberioris discipuli instar, nobis ingenuam videtur referre Tibulli notam. Itaque, contemptis Æmilii Bæhrens calumniis, Horatiana dicta tuto de nostro poeta intellegemus.

Albius Tibullus (Aulus prænomine? quod facile ob iteratum sequentis nominis A exciderit) Gabiis, si plausibili Æm. Bæhrens conjecturæ assentiamur (1), equestri loco natus est. Præmature, ut videtur, patre orbatus, inter matrem sororemque adoluit (nam in elegiis ambarum, nusquam patris fit mentio) : cujus certe femineæ culturæ vestigia animus ingeniumque retinuit. Utrum Athenis aliquando studuerit, litteratorum adulescentium more, nescimus; at quod affirmare licet, ruri puer diutius quam in Urbe degit, inter avita arbusta lares que « prisco e stipite factos » piis agrestibusque formatus disciplinis. Tibulli familia, principio magnis opibus prædita, deinceps anno procul dubio 713, cum agri inter milites partiti tot ejusdem ævi poetis (Vergilio, Horatio, Propertio) calamitati forent, bonis ple-

(1) Incipit in codicibus Suetoniana Vita : « Albius Tibullus eques regalis »; et pro absurdo illo *regalis*, vulgo legunt « romanus ». At Bæhrens ingeniosius « eques R. e Gabis » (= Romanus e Gabiis). Quod eo verisimilius est, quod Suetonius virorum originem item notare solet (« e Sicilia », « e Gallia », etc.)

risque spoliata est : quod ipse sæpius in carmine memorat :

> Non ego *divitias patrum* fructusque requiro
> Quos tulit antiquo condita messis avo,
> Parva seges satis est... (1)

Vel ibidem :

> Vos quoque *felicis quondam, nunc pauperis* agri
> Custodes, fertis munera vestra, Lares.

Postea tamen, sive rei familiaris partem recuperavit, sive nova largiente amico Messala nactus est, « divitiæ », ut monet Horatius, Tibullo contigerunt, eæ saltem quæ decent poetam :

> .... mundus victus non deficiente crumena (2).

Ceterum singulare hoc in juvene notamus, nunquam Cæsaris benevolentiam, ad vicem æqualium poetarum, Vergilii, Horatii, captasse; nullæ apud eum Augusti laudes, nullæ Mæcenatis. Satis habuit nobilis viri Valerii Messalæ Corvini gratia et caritate perfrui : quem consulem factum an. 723, altera imminente agrorum partitione, forsan adierat — si quidem ipse putandus est Panegyrici

(1) El. I, 1, v. 41 sqq.
(2) *Epist.* I, 4, v. 11.

auctor — poeticaque illa gratulatione sibi paraverat adjutorem. Quidquid id est, Messala eodem anno tam familiariter Tibullo utebatur, ut secum in Galliam, in Ciliciam abducere cuperet : quæ duæ expeditiones sine dubio et post Actiacam victoriam, cui Messala interfuerat, et ante triumphum quem de fusis Aquitanis reportavit, scilicet intra an. 723-727 factæ sunt : sed utra tempore prior, quisnam potissimum Aquitanici belli annus fuerit, in ambiguo. Si enim cum viris criticis Dissen, Bæhrens, Hartung Aquitanas gentes an. 724 devictas arbitremur, quæretur quomodo evenerit ut Messalæ triumphus modo celebraretur extremo an. 727. Sin an. 726, majus obest impedimentum : nam constat an. 725-726 clausum fuisse Jani templum, et quanquam pax illa imperii Romani, teste Cassio Dione (1), aliquibus turbata est Trevirorum Hispanorumque tumultibus, item exarsisse Aquitaniam, et tantis prœliis quæ duci triumphum pararent, conjectare omnino nequimus. Ideo statuere satius est Messalam an. 724 apud Gallos bellavisse, mox dilato triumpho, an. 725 legatum esse in Orientem, qui Cilicas, Syros, postea Ægyptios politicis magis quam militaribus artibus componeret : cum qua sententia ipsius Tibulli sermo congruere videtur, qui in el. I, 7 (v. 10-

(1) *Hist. Rom.* LI, 20. — Cf. Appianum, *Bel. civ.* IV, 38, de Messala in Gallos a Cæsare legato.

sqq.) in Messalæ laudem primo de Aquitanis, dein de Cilicibus et ceteris dicat.

Eadem elegia Tibullus sese rebus Aquitanicis interfuisse testatur :

Non sine me est tibi partus honos : Tarbella Pyrene
Testis, et Oceani litora Santonici (1).

Et Suetoniano scripto monemur illum tunc Messalæ « contubernalem donis militaribus donatum esse ». At illud contubernium suspicor haud in sensum nimis bellicum accipiendum : nimirum non tam in prœlia miles quam peregrinationis comes nobilem amicum sequebatur. Omnia enim carmina nobis hominem redolent qui bellum aliquamdiu spectaverit, arma vero minime gesserit, nedum quid verisimile habeant quæcumque Dissen de equestri adulescentis militia decennibusque stipendiis commentatus est (2).

Redux ab Aquitanico bello, in Asiam sub vere

(1) Primum versum Bæhrens admodum prave sic immutavit : « Non sine *marte ibi* partus honos... ». Duriuscula auditu verba, et ridiculi sensus : nam triumphos « non sine marte » reportari solere, quis dubitat? Quod autem cavillatur Bæhrens : juxta vulgarem lectionem, poetam stolide de fusis Aquitanis gloriari, nescio quid sibi velit : *non sine me* nequaquam idem significat ac *per me*.

(2) Nititur in Polybii testimonio, legem commemorantis, ex qua Romano equiti (septemdecim annos nato) decennia stipendia merenda fuerint ; non anquirit autem an novissimis liberæ reipublicæ temporibus jam ejusmodi leges obsoleverint.

anni 725 navigaturus, Messala iterum a Tibullo poposcit ut sibi comitaretur. Quomodo hic, amoris primo vinculo devinctus, amici invitationem recusaverit, deinde mutato consilio navem conscenderit; quomodo ægrotans in Corcyra insula moratus sit ruptoque itinere repetierit Romam: in elegiis de Delia (I, 1 et 3) perspicue videtur. Hic est notandus obiter gravissimus Sigmundi Teuffel error, qui totum subvertat Tibulli carminum tenorem, hos Deliacas elegias usque in an. 730 U. C. differendo: quasi denuo Messala fecisset in Ciliciam iter, post expeditionem cujus Tibullus expressis verbis in el. I, 7 meminit. Sed rei cum ne vestigium quidem sit in historiis, nec mera docti viri phantasia pro argumento haberi queat, nulla copia datur ut Messalæ iter, ideoque prima de Delia carmina post an. 725. statuantur. Alioquin est Ovidii distichon, quo Teuffeliana computatio necessario labefiat: sic enim affatur Augustum in *Trist.* (II, v. 462 sq.):

. . . . .legiturque Tibullus,
Et placet, et *jam te principe* notus erat.

id est an. 726, quum primum Octavianus princeps senatus salutatus est. Quo igitur pacto Teuffel, qui Tibullum profiteatur ante finem anni 727 nullos versus (nam Panegyricus nihil est) adhuc condidisse, poetæ nomen fingat jam ivisse per ora hominum?

Ergo paulo post Aquitanicas res suam Deliam amare et celebrare Tibullus inceperat. Neque abhinc cælibi juveni Romæ degenti, insigni forma (1), tenero calidoque animo, occasio defuit dulcem voluptatum amaritiem sæpius experiendi. Inde reliquam vitam amoribus tum sentiendis, tum adumbrandis impendere Tibullus; urbanas, rusticas delicias miscere; interdum in patrio fundo vel « in regione Pedana (2) », ubi villulam fortasse possidebat, otiari, scribere elegos, rite, tanquam agrestium religionum studiosissimus, Laribus offere liba agnamve mactare; sæpe Romæ conversari cum Messala, carminaque recitare in frequenti poetantium circulo, quos Messala domum suam admittebat. De sodalicio illo litterato nuper Bæhrens tam luculenter disseruit, ut rem amplius hic expedire non opus sit; satis est notare Tibullum cum Vergilio longe principem in eo cœtu eminuisse, cui Æmilius Macer, Valgius Rufus, Sextus Propertius, mox Sulpicia puella et adulescentes « Lygdamus » Ovidiusque annumerarentur. Quanta autem fama et auctoritate uterque floruerit, ex eo apparet, quod eorum carmina diligenter imitabantur juniores, edita deinceps illa miscellanea Vergilii, Tibulli nomine decora-

(1) Horat., *Epist.* II, 10.
(2) Horat., *Ibid.*
(3) Vid. *Tibullische Blætter*, V.

bant : unde, ut jam in Prolegomenis dictum est, pseudo-vergiliana Catalecta, pseudo-tibulliani libri nobis pervenere.

Quid multa ? Inclitus apud poetas, a matre et sorore dilectus, neque egestati obnoxius, nec sapientiæ expers, Tibullus paucos numero annos, sed felices vixit. Eum infirmo ægroque corpore fuisse (1), quamvis nos in hanc opinionem inclinent immatura funera, morbus quo se Corcyræ implicitum declarat, necnon languidi nescio quid poesi Tibullianæ suffusum, parum liquet : cum Horatius ipsi valetudinem gratuletur (*loc. cit.*). Mens saltem, amatoriis curis saucia, sæpe doluit ac languit : nisi hujusmodi dolor, quotiens in pulchra carmina vertitur, poetæ pro deliciis fere haberi solet. Sed qualia tenerrimus suavisissi simusque poeta senserit, ex ipsis elegiis, sedulo recognitis, jam perspiciendi locus est.

(1) Ipse se teneris gracilibusque membris fuisse testatur (vid. el. II, 3, v. 9 sq.)

CAPUT II

De elegia X primi libri, prima inter Tibullianos elegos ponenda. Excursus in elegiam VII de natali Messalæ. — Quinque de Delia elegiæ. Deliæ nomen, condicio, indoles; aliæ personæ a poeta inductæ. — Qualis sit verus elegiarum ordo. Refelluntur Caroli Lachmann et Ludolphi Dissen sententiæ. — Tibulli cum Delia amorum vices explanantur.

Primos certe elegorum a Tibullo editorum habemus el. I, 10, quæ proxime, omnium doctorum judicio, carminum de Delia seriem antecedit. Quicumque autem cum Sigmundo Teuffel primam ponunt el. I, 7, an. 727 exeunte conscriptam (1), magnopere falluntur : quandoquidem eo anno perfectas jampridem esse plures de Delia elegias perspicue novimus (cap. I). Nec aliter necesse foret confutare docti viri erratum : argumenta tamen discutere quibus el. I, 7 ideo elevare studuit, ut nihil hæc esse putaretur nisi tironis adhuc Tibulli opusculum,

(1) Aliquanto post triumphum Messalæ, 25 sept. an. 727 celebratum.

infelici Panegyrico quam Deliacis elegis propius, operæ quoque pretium est.

Carminis illius in Messalæ natalem hæc fere ratio est. A victoria Messalæ recentique triumpho breviter, necnon granditer, exorsus poeta (v. 1-8), enumerat Galliæ locos qui ducis virtutem testantur, (v. 9-12); posthac Ciliciam, Syriam, præcipue Ægyptum depingit ab eodem legato perlustratas, ac multa super Nilo, multa super Osiride agricolarum deo effatur (v. 13-5); denique (v. 55-64), rursus prædicatis Messalæ laudibus qui Viæ Latinæ reficiendæ impenderit operam, ei prosperum natalis reditum in longos annos precatur. — Mitto quascumque Teuffel notavit in sermone maculas (v. gr. importunam quarumdam vocum geminationem, schemata copiosius usurpata), utpote leviores et quales ne clarissimis quidem Tibulli elegiis omnino absint; sed cum doctus vir pravam totius materiæ dispositionem et explicationem vituperat, vanam carpit geographicæ ac mythologicæ scientiæ ostentationem, eum puto, Æmilio Bæhrens (1) consentaneus, minime intellexisse poetæ propositum. Quid enim vult Tibullus ? Num, epico more, clara Messalæ gesta ex ordine prosequi ? Vult nempe amico velut natalicium munusculum versus offerre qui

(1) *Tib. Blætter*, *II.*

gratis imaginibus mentem oblectent : atqui Messalæ nihil poterat esse jucundius, quam revocare memoriam ad longinquas oras ubi Romana imperia gesserat, nihil potissimum quam Niliacas illas regiones animo revisere, quæ tunc Romanas mentes tantopere percellebant, de quibus dubio procul ipse in amicorum circulo etiam atque etiam fabulatus erat; neque certe quæ Tibullus addebat de viarum munitionibus præconia Messalæ mediocriter placebant. Itaque eleg. I, 7, picturis alioqui lepidissimis distincta, nec quidquam habet Panegyrici vitiorum simile, nec maturis Tibulli annis indigna videtur : etsi concedo poematium hoc, per occasionem scriptum, forsan minus accurate Tibullum polivisse; item rhetoricis figuris — ut fit quotiens materiæ tenuitate non sustinetur scriptoris ingenium — singulariter abusum esse : sed poetam existere continuo sibi parem, quis contendat ?

Redeamus ad éleg. I, 10. Non solum hanc scimus elegiis de Delia priorem ideo esse, quia adulescentem indicat amori natum, nullis tamen amoris experimentis præditum; verum etiam paulo ante Aquitanicam expeditionem, id est ineunte (juxta nostrum ratiocinium) an. 724, scriptam a Tibullo : vix est enim quod aliter v. 15 interpreteris :

Nunc in bella trahor, et jam quis forsitan hostis...

Toti autem carmini titulus imponi possit: in Bellum diræ vel Pacis laudes, illius dumtaxat pacis, quam a pastorali agrestique tranquillitate nunquam Tibullus sejungat. Exsecrato primum bello bellique causa avaritia, statim contra ponitur rusticæ vitæ poetice descripta felicitas; sed phantasiam puris gaudiis indulgentem pungunt identidem anguntque bellicæ imagines; nunc tubæ clangor audiri, hostilia cerni tela, nunc prompta nex paveri, infernæ tenebræ, Stygia stagna, pallida simulacrorum turba; donec Pax alma risu omnia serenat, quiescitque poetæ mens in ludicro idyllio, unde tamen bella non absunt, at qualia bella minime Mavors, soli Bacchus Venusque foveant, qualia post agrestia festa sævire soleant in paganorum casis. Rusticus, e luco reversus meroque madens, rixam cum uxore inserit : convicia, verbera oriuntur ; femina

Flet teneras subtusa genas, sed victor et ipse
Flet sibi dementes tam valuisse manus.

Unde, ad amorem flexus poeta, suapte vota profitetur :

. . . . Quater ille beatus
Quo tenera irato flere puella potest!

et leni hac exclamatione totus jam nobis apparet: ut enim ruris dilectio, magna Tibullianæ poeseos

pars, cetera elegia præclare significatur, ita mollioris quoque cupidinis prænuntium habemus hoc, non reipsa amantis, sed amare optantis, distichon; quapropter el. I, 10 quasi vestibulum dici potest, quo ad Deliam, « primum amorem » poetæ, perducimur.

Quando quinque de Delia elegias, cum libri primi, tum universius operis sui fastigium, Tibullus inchoabat, eo certe venerat juventutis cum nondum animi flos delibatus esset, ingenium arte jam matura polleret. Ceterum supra perspectum habemus primas hujus seriei elegias arcte attinere ad quædam Tibullianæ vitæ facta, quorum tempora sat probabiliter definiantur : ita ut el. I, 1 — ubi Messalæ invitatio recusatur, Tibullum in Orientem secum ducere cupientis — bene ad hiemem 725 assignari possit ; el. I, 3 — quæ Messalæ cohortem « per Ægeas undas » pergentem, ipsum Tibullum in Corcyra ægrotantem perhibet — ad æstatem ejusdem anni (1); el. I, 2 vero inter utramque statuenda sit : nisi cavendum est ne nimium rigide de hujusmodi rebus judicetur. Tibullus enim neutiquam illorum auctorum est, qui, Ovidii more, quidquid sibi contigerit, extemporali versu illustrant; pleraque ejus carmina nitent arte et in singulis partibus et in toto ponendo concinniore,

(1) Nota cum Æmilio Bæhrens in el. I, 1 et 2 hibernam magis tempestatem ante oculos poni, in el. I, 3 æstivam.

eadem rei veræ clariorem induunt poeseos colorem, quam quæ diu meditata esse et per otium expolita dubitemus : neque, exempli gratia, credere pronum est totam el. I, 3 poetam in Corcyra languentem confecisse ; incredibilius eum ibidem futura dominæ peccata (quæ artificiose præparantur v. 81 sq.) jamtunc esse auguratum. In summa hoc saltem ponere licet : carmina Deliaca ineunte an. 725 incepta, an. 726 inter litteratos partim cognita (1), absoluta esse an. circiter 727 aut 728.

Deliæ nomen, tanquam Lesbiæ et Lycoridis, Cynthiæ et Corinnæ, fictum absque dubio est. Quidquid autem Julius Soury, secundum Henricum Voss, de libertina narrat vere oriunda ex insula Delo (ubi tunc temporis celebres fiebant mancipiorum mercaturæ), mere fabulatur : tanquam nesciat eam consuetudinem fuisse Romanis eroticorum carminum auctoribus, ut amicas græcis cognomentis, at syllabarum numero prosodiaque similibus, nuncuparent, haudquaquam ipsarum famæ parcendi causa, sed addendi poetici cujusdam decoris ; ita ut protervæ pelicis nomen, quemadmodum honestioris mulieris, in

(1) Ovidii versum supra vidimus (cap. I), Tibullum an. 726 jam *notum* perhibentis : ideo sat verisimile arbitror non modo el. I, 10, verum etiam tres primas de Delia elegias id temporis innotuisse. — Num tres illæ elegiæ primo (quod credit Bæhrens) distinctim edita sint, ne conjectare quidem possumus.

versu mutaretur (1). Quinimo Deliæ vocabulo personatam esse puellam Planiam ab Apuleio accepimus (2) : cujus testimonium, nullam ob causam ab Julio Soury impugnatum, eo sincerius videtur quod joculari quadam translatione *Delia* e *Plania* (δῆλος = planus) optime fingi potuerit ; ni simpliciter putes proprio Dianæ cognomini blande alludere poetam.

Delia illa, ut primum Tibullo placuit, nupta jam erat (el. I, 2, v. 41 ; I, 6, passim ; cum quibus etiam conspirat el. I, 5, v. 7 : *furtivi* fœdera lecti). Utrum vero ingenua an libertina (3), ambigitur, nec magni refert : sed tenui certe loco exorta, cui matronalem cultum, fatente Tibullo, non induere fas sit, cui (el. I, 6; v. 67 sq.)

. . . . , . non *vitta* ligatos
Impediat crines, nec *stola longa* pedes.

Ipsa, si e Tibulliano carmine perspicitur, puella est facie speciosa, teneris lacertis ac flavo capillo ; ingenio non ita scito, superstitioni dedita nec infrequens Isidis cultrix ; benigna sat indole, amanti fa-

(1) Scimus Cytheridem mimam a Cornelio Gallo *Lycoridis* nomen accepisse.

(2) « ...Eadem opera [magia] accusent... Tibullum, quod ei sit Plania in animo, Delia in versu. » *Apolog. X.* — *Plania* sine dubio ; quanquam et in alio codice, sed mendoso, *Plautia* legitur.

(3) Notum est his reipublicæ ætatibus libertinas in matrimonium a civibus duci potuisse ; mox per legem Juliam (de maritandis ordinibus) tales nuptias et equitibus permissas.

cilis, amati obliviosa, ceterum perinde meretriciis atque uxoriis moribus aliena : quales, sicut S. Teuffel monet, etiamnunc non paucæ reperiantur inter Romanæ plebis mulierculas.

Circa Deliam aliæ quoque personæ conspicuæ apparent : Deliæ præsertim maritus, durus aliquis et avarus decurio, qui modo prædabundus in Cilicia stipendia meret (el. I, 2, v. 65 sq.), nunc, Urbem regressus, hebete animo securoque fallacis conjugis amoribus adest (el. I, 6); simul Deliæ mater, « dulcis anus », « anus aurea », quam sese semper amaturum jurat Tibullus atque omnibus blanditiis prosequitur (el. I. 6, v. 57-67), quia suospte cum filia concubitus foveat, se « noctu foribus maneat ad fixa », puellam sibi « adducat tenebris », multoque (ait) timore

Conjung*at* nostras clam taciturna manus.

Quod si quospiam adjunxeris a poeta strictim expressos : divitem amatorem (el. I, 5) qui potior Tibulli rivalis evasit; lenam rapacem (el. I, 5) — ineptissime a quibusdam (Voss, Soury) pro Deliæ matre acceptam, — qua instigante puella peccavit; sagam a Tibullo, amoris impune perfruendi causa, consultam, et alias aliquam Bellonæ sacerdotem (el. I, 2, v. 41-63; 6, v. 43-55) : cunctas habebis, ut ita

dicam, personas amatorii illius dramatis quod quinque elegiis agitur.

Sed priusquam ipsam fabulam edisseramus, maximi momenti est de vero elegiarum ordine anquirere: cum tres potissimum ordinandi rationes a doctis viris propositæ sint, Carolo Lachmann statuente el. I, 3. 1. 2. 5. 6 (1), Lud. Dissen I, 1. 3. 5. 2. 6, Æm. Bæhrens simpliciter, secundum librorum scripturam, I, 1. 2. 3. 5. 6, ipsiusque rei explicationem aliam aliter ordinata carmina efficiant.

Lachmannianus ordo, ab O. Richter et J. Soury receptus, defendi tamen vix potest : nemo enim litteratus, pervolutis aliquantisper Tibulli scriptis, dubitabit quin carminum de Delia series ab el. I, 1 initium capiat, nequaquan ab el. I, 3 quam Lachmann primam esse voluit. Etenim ita hæc ex abrupto incipit, ut poeta æger, in Corcyra derelictus, Messalæ tristiter valedicat, urgentem mortem deprecetur, hinc pias queratur abesse mulierum manus quæ suprema sibi solvant; inde exclamat : « Delia non usquam... » Sed quænam sit illa Delia, quomodo a poeta coli cœperit : neque adhuc edocti sumus, nec sequentibus versibus edocemur ; extemplo proripimur « in medias res », quod epos sane, at minus, credo, elegiam decet, quod saltem Tibulliano inge-

(1) El. I, 4, carminibus de Delia interjecta, pertinet ad seriem de Maratho quæ infra explicabitur.

nio longe abhorret. Alteram contra elegiam (I, 1) in exordii modum esse conflatam luculentissime apparet: sive Messalæ (v. 53) compellatio animadvertitur, qua Tibullus claro amico universos de Delia elegos videtur dedicare; sive totius elegiæ placidus tenor, tanquam viri novam venerem auspicantis, nondum acrioribus cupidinis curis impliciti; sive præcipue carminis artificium, ubi gradatim a generalibus sententiis poeta transit ad proprios amores. Quippe elegiæ I, 1 prior et pleraque pars in nulla alia re versatur, quam in brevi belli detestatione (v. 1-4), longis vitæ rusticæ laudibus (v. 5-44), ideo supra dictæ el. I, 10 simillima, nisi quod poetæ personam hic magis directe intuemur; at postquam se Triptolemi aut Cereris, Priapi aut Palis agrestia sacra celebrantem pristinosque Lares hostiis colentem, se consitoris, aratoris, pastoris artes exercentem, se denique dulci inertiæ iudulgentem præbuit, continuo amorem, suavissima hacce transitione (v. 43-46), attingit:

. . . . . . satis est, requiescere lecto
Si licet et solito membra levare toro.
Quam juvat immites ventos audire cubantem
Et *dominam* tenero detinuisse sinu.

Nihil hactenus habes præter voluptarium phantasiæ lusum, visionem « dominæ » nullis certis linea-

mentis conformatæ : sed veram vivamque subesse feminam mox hariolamur e v. 52, cum poeta omnes divitias perire potius optat

> Quam fleat ob *nostras ulla puella* vias,

post in v. 55 aperte monemur :

> Me retinent vinctum formosæ vincla puellæ ;

quæ puella tandem in sequenti disticho proprio nomine insignitur (*mea Delia*). — Itaque Deliæ imaginem, primo occultam, in medio carmine quasi per nebulas aspectam, sensim propinquare ac clarescere putes, donec tota demum nobis pateat : unde, num elegia hæc alibi collocari possit quam in seriei principio, satis habes perpectum.

Et simili ratione licet obiter quosdam (Voss, Passow) confutare, quibus elegiam I, 5 post supremam el. I, 6 ponere placuit. Ambæ quidem non adeo dispare argumento sunt : sed cum illius ultimi versus (69-76) minas in amatorem rivalem habeant comico quodam sale respersas, quibus Deliæ fabula parum lepide ac velut in suspenso concludatur ; huic ita desinenti :

> . . . . nos, Delia, amoris
> Exemplum cana simus uterque coma,

— quod distichon menti aperit infinita prope fe-

licitatis spatia — optimæ clausulæ character inest.

Elegiarum igitur et principem (el. 1) et postremam (el. 6) cum sine dubio teneamus, superest ut tres interpositæ aliæ ordinentur : quod bifariam fit, sive cum Æmilio Bæhrens traditum ordinem servamus, sive, ut voluit Dissen, el. 2 post el. 5 rejicitur. Ab hoc autem ordine Disseniano, qui et doctis viris Gruppe et Teuffel perplacuit, totius rei singularis quædam pendet interpretatio, nobis hic breviter contrahenda.

Trium quæ imprimis locantur elegiarum (1, 3, 5) materiam, hoc est felicem Tibulli in Deliam amorem, Deliæ erga Tibullum absentem perfidiam, inde ortas inter utrumque, mox compositas discordias, communi legitimaque ratione Dissen explanat; præterquam quod Deliam interea puellam innuptam esse fingit. Circa elegiam 2 autem (quartam secundum Dissen) mirificum fabellæ nodum excogitat : quippe contendit divitem virum, qui in el. 5 Deliam in culpam induxisse dicebatur, hic jam in justo matrimonio habere, ita ut quas insidias peregrinanti Tibullo nuper « amator » fecerit, eidem nunc marito præsens rursum Tibullus faciat ; exinde tertium (el. 6) ingruere corrivalem, sub fine etiam el. 5 præsignificatum, a quo uterque simul lædatur. Atqui in illa arguta — sed arguta nimis — explicatione plura offensioni sunt, quæ minuere nequeunt Disse-

nianorum inventorum fautores. Scilicet velim nobis amatoris illius seu mariti peregrinationes enucleent, qui miles, Tibullo cum Messala in Ciliciam profecto, Romæ otietur; reverso Tibullo, vixdum nupta Delia, in Cilicia militare dicatur; posthac in Urbe iterum videatur versari. Velim edisserant quamobrem illa el. 2, quam censent post infidelitatem Deliæ scriptam, zelotypiæ tamen ne vestigium quidem habeat. Docere quoque debeant, qui fiat ut submissis hujusmodi supplicibusque verbis (el. 6) :

Non ego te læsi prudens : ignosce fatenti

— quæ bene de quolibet conjuge intellegantur, — Tibullus ipsum rivalem alloquatur qui suam Deliam corruperit ? Sed singula carpere supervacaneum est : Ludolphi Dissen commentationem ideo nego recipiendam, quia Tibullianæ et simplicitati et urbanitati prorsus repugnat. Etenim si in universum spectaveris quot et quales rerum vices : itinera, nuptiæ, fraudes amatoriæ, intra tres elegias, illo auctore, congerantur, non poteris quin cum O. Richter exclames quod aiunt : Implicatam fabulam, miserabilem amasium ! ac præsertim senties quicumque « amatorem » el. 5 et « conjugem » el. 2 et 6 unum eumdemque esse fingant, cum id poeta ne verbo quidem indicaverit, illos hariolorum vice fungi, non interpretum.

Ergo, relictis ceteris doctorum conjecturis, hoc stabimus elegiarum ordine : I, 1, 2, 3, 5, 6 : qui cum eo præstat quod a librorum traditione non dissidet, tum nobis facultatem præbet omnem consuetudinis amatoriæ tractum commode et enucleate explicandi. Hæc autem Deliæ historia, si velis uno verbo colligere quidquid paginis insequentibus comperies, ea est qua præclare illustretur Germani poetæ verbum : « Uti viro infidelis, ita in amantem perfida (1). »

De el. 1 plura supra diximus : nempe poetam, deposcente Messala ut sibi in Orientem comitaretur, imprimis rusticæ vitæ studium, simul amoris illecebras excusavisse, ita adductum ut Deliam suam nuncuparet quæ directe in reliquo carmine agitur. Hic videntur consuetudinis modo primitiæ attingi : necdum puella a marita fide decessit, nam passim intellegitur (v. 49 : Hoc mihi contingat... ; v. 57 sq : tecum dummodo sim...) Tibullo summam voluptatem in votis esse, non re vera perceptam ; et amans ipse sat novum in rebus venereis se profert (quod etiam sequentis el. 2 « *novi* dolores », « *nova limina* » (2) significant). Inde suffusus carmini ardens

(1) H. Heine.

(2) Quanquam Dissen et ceteri illud *novi* vel *nova* secus interpretari conantur : nuperas nempe Deliæ nuptias intellegunt. Sed Dissenianam commentationem supra confutavimus.

quidam et candidus color ; inde blanda somnia, longæ spes quibus credula juniorum cupido pasci solet ; inde mors læto animo aspectata, nescio quæ ex ipsa morte quæsitæ deliciæ (v. 59 sqq) :

> Te spectem suprema mihi cum venerit hora,
> Te teneam moriens deficiente manu !

quasi perennem dominæ amorem mortuoque superstitem fingere juvet ! At ab illa funerum cogitatione facile ad præsentes res poeta redit : quippe brevitate vitæ utitur, ut Deliam ad Horatianum illud « carpe diem », ad capessendum quam citissime voluptatis fructum incitet :

> Interea, dum fata sinunt, jungamus amores...

In el. 2, Tibulli blandiloquio paululum auscultavisse Delia videtur : clam fortasse adita, nocturnum congressum promisit ; sed, etsi longe maritus abest, « sæva custodia » puellæ limini apposita, clausam fervidus juvenis offendit januam. Hinc « novi dolores » in primo versu expressi, et infelicis cupidinis sopor multo vino quæsitus. Cetera elegia in formam παρακλαυσιθύρου condita est, quod apte quidem præparabat antecedentis el. v. 56 : « sedeo duras *janitor* ante *fores* » et v. 73 sq : « frangere *postes* non pudet ». Duram ergo januam Tibullus nunc iracunde, nunc suppliciter affatur. Mox, converso ad Deliam ser-

mone, suadet ne timide custodes fallat : Venerem enim puellarum dolis favere ; Venerem audaci juveni qui noctu ad amicam insinuet opitulari ; Veneris iras, si quis se cum Delia furtim congredientem agnoverit nec tacuerit, proditori imminere. Quin etiam sibi potentissimam sagam magica composuisse carmina, quibus adjuvantibus conjunx « nihil poterit credere cuiquam » de amantum furtis. Hactenus Deliæ timores evincere poeta studuit : nunc teneriores movere sensus, nunc intima pectoris insinuare tentat ; scilicet, ut redametur, quam perdite ipse amet verbis aperit suavissimis. Eadem, inquit (v. 59 sqq.), saga se dixit cantibus aut herbis solvere posse meos amores : quid autem ?

Non ego totus abesset amor, sed mutuus esset
Orabam, *nec te posse carere velim !*

Hujusmodi confessio ea est quæ muliebrem animum haud mediocriter illiciat ; at quanto magis, si talibus blanditiis opponatur — quod protinus (1) fit in Tibullo (v. 65 sqq.) — ferrei conjugis neglegèntia, qui cum puellam possit habere,

Maluerit prædas stultus et arma sequi.

(1) Hic loci, J. H. Voss perquam infeliciter elegiam in duas partes abscidit, quasi ab usque v. 65 novum carmen inciperet. Idem prope jam fecerat J. Scaliger, quin imo secundum fragmentum partim el. 1, partim el. 5 assuerat : talem doctorum insolentiam mirabitur, quisquis sano judicio velit elegiam perlegere.

Non sic amans ! ille rusticam pauperiem diligere, dummodo amica fruatur... Plane hujusce eloquentiæ vim intellegent, qui pernovere quam femineis mentibus odisse virum, bene velle amanti finitima esse soleant. Sic Delia omnibus artibus conciliata, nihil adjiciendum Tibullo superest, nisi quod cælites ipsos in suas partes trahat : ideo magna Venus oratur ut perpetuo piissimoque cultori parcat; lepidoque quodam progressu carmen, ubi primum inanimæ fores, deinde amata femina compellata erat, divæ invocatione concluditur.

Mensium aliquot spatium hic interjici oportet, de quibus poeta siluit : quippe, elusis tandem Deliæ custodibus, plena gaudia potiebatur. Mox tamen, fortasse minus, ut fit, possessæ quam cupitæ dominæ adstrictus Messalæque nimium rogitanti obsecutus, pergere cum eo in Asiam cœpit, ingruente morbo solus remansit in Corcyra, unde se el. 3 scribere refert. Ibi igitur mortem quam olim in el. 1 φανταστικῶς sibi ante oculos ponebat, re vera instantem intuetur : mortem vero solitariam, matris, sororis, Deliæ amplexibus orbatam. Hoc facto el. 3 prooemio, quod res ipsa suppeditavit, præclare Tibullus in desideria et in spes evagatur, de præsenti infortunio tum præterita respicit, tum prospicit futura, omnia semper Deliæ imagine plena. Ut enim initio suum reminiscitur ab Urbe digressum, mæs-

tamque Deliam, dum invitus ab invita distrahitur sacras sortes consulentem, vota reddentem Isidi,, amanti fausta omina precantem; ita, sub fine carminis, juvat reditus gaudia sperare, cum nocte aliqua subito Deliæ quasi « cælo missus » aderit, Delia prope sedulam anum pensis adfixa somnoque gravida exsurget ac, « longos turbata capillos, nudato pede », obviam curret. Inter illas lepidissimas picturas harmonica subeunt, ut mos Tibullo, antitheta, præsertim de mythicis rebus sumpta : floridam ætatis aureæ descriptionem sequitur querimonia de hujusce vitæ condicione, bellis et naufragiis obnoxiæ; item adversum Elysios campos avium cantu, perennibus rosis, juvenum puellarumque ludis amœnissimos, ponuntur Tartara, Tisiphones et Cerberi monstris, famosorum sontum suppliciis horrenda. Hæc autem arte ad elegiæ materiam attinent, nedum pro supervacaneis ornamentis habeantur : namque in campos Elysios, exstinctorum amantum sedes, sese morte obita ductum iri a Venere fingit (v. 57 sq.), Tartara, siquis « suos violavit amores », odioso æmulo exoptat (v. 81 sq.). Ceterum, et singulæ carminis partes ea arte contextæ sunt, ut luctuosa et jucunda alternis usque vicibus subeant, ægræ discessus recordationi continuetur aureæ ætatis descriptio, violentæ vitæ tædiis Elysiorum camporum amœnitas, tætræ Tartari for-

midini spes Deliæ complectendæ; et elegiæ in summam processus hic est, ut primum a turbidis atrisque rebus exorta, serena tandem adipiscatur.

Pulcherrima illa el. 3 prior consuetudinis pars terminatur, quæ quidem, etsi tam multæ insunt de belli incommodis, de puellæ custodia, de leto urgenti querelæ, prospera nuncupari potest: Tibullus enim hucusque amatus amavit. Jamnunc (el. 5 et 6.) purum cælum nubila obscurant; jam Tibullus non modo res patitur adversas, sed ipsius excruciatur puellæ levitate.

Nempe illuxit ille dies, quem in fine el. 3 expetit ut sibi sospiti Aurora

. . . roseis candida portet equis.

Dies vero pro speratis gaudiis quantos angores allaturus! Amatori cuidam, cui Tibullum absentem præsagis versibus (el. 3, v. 81 sq.) maledicere vidimus, Delia, pellecta donis, indulsit; « fruitur nunc alter ancore! » Quid, his compertis, delusus amans egerit ex el. 5 initio perspicimus: stupere, indignari, aspera et magnifica loqui, sempiterna jurare oblivia; statim ut discessit, moleste ferre discidium, agitari huc illuc

. . . ut per plana citus sola verbere turben,

facere demum quod plerumque fit in amatoriis

simultatibus, ubi læsus a lædente, fidelis ab infida veniam solet petere. In el. 5 igitur, nihil aliud quam tentat omnes gratiæ reconciliandæ vias : sive pristinarum voluptatum desiderium puellæ injicit (v. 7 sq.); sive commemorat quot curis votisque Deliam olim (1) « tristi morbo defessam » restituerit (v. 9-16); sive profert bucolicæ vitæ oblectamenta, cujus illam participem fore sibi fingebat, messibus et vindemiæ, pecori et vernis præfuturam, cuncta domi curaturam, caro etiam Messalæ «dulcia poma» lecturam (v. 19-36). Hæc omnia prosecutus quibus tener animus benefactique memor deleniatur, porro cœpit (2) majorem miserationem facere ostentando ægritudinis suæ vim ac pervicaciam (v. 37-44) : quippe remedia amoris frustra dicitur in vino quæsivisse, nam

... dolor in lacrimas verterat omne merum ;

frustra in volgivaga libidine, nam cum gaudia adiret,

Admonuit dominæ deseruitque Venus.

(1) Nihil est in elegia, unde concludas post reversum Tibullum Deliæ morbum evenisse ; quod S. Teuffel et multi alii affirmant, ego perquam improbabile arbitror : tunc enim Deliæ, cum jam penes divitem amatorem esset, Tibullus adesse non potuisset.

(2) Inde (a v. 37 « Sæpe ego tentavi... ») Scaligero lubet, postquam ultimam el. 2 partem translatam huicce elegiæ interjecit, textum abscindere ac novum statuere carmen : imo ne illi quidem fragmento parcit, cum sex ultimos versus in el. 6 usque rejiciat. Istiusmodi crisim, vel potius dementiam, confutare non opus est.

Ergone putes perfidæ puellæ, tam acris angoris causæ, poetam suscensere? Nihil minus: sed enim, quoniam amantissimus quisque mavult alienas res culpare, quam suæ puellæ vitium, iras omnes Tibullus in « divitem amatorem », in « callidam lenam » derivat, hanc dira lacessit exsecratione (v. 49-58), illi, in extremo carmine (v. 69-76), subobscuris verbis minatur nescio cujus rivalis insidias (1): inter utrumque autem inserto pauperis amantis præconio, submisse Deliæ laborat persuadere (v. 59-66) longe potiorem esse homine nummoso tenerum officiosumque, qualis ipse est, juvenem.

Quem exitum habuerit illa el. 5 deprecatio, certo novimus: rursus amor misero « blandos obtulit vultus », permota Delia se Tibullo restituit. Ecqua autem mulier, semel e recta via digressa, peccare unquam desuefiat? Dum — sat multis, credo, post mensibus — el. 6 conditur, mariti jam reversi Tibullus familiaris evasit, ideoque ut lubet in amicæ

(1) Sensus hic habetur anceps. In v. 57 enim vulgo legunt *mea fata* pro codicum *mea furta.* Qui tamen *furta* servare malunt, per illum « quemdam », qui « non frustra in limine perstat », ipsum Tibullum μιμητικῶς designatum intellegunt : quod subacuto lectori non multum, mea sententia, placebit. Est quidem *Tristium* locus (II, v. 469) ubi Ovidius his versibus alludit tanquam ad Tibullum pertinentibus : sed non ita grave Ovidii testimonium, qui, credo, Tibullianos versus memoriter perhibuit et sensum etiam arbitrio suo potuit mutare.

domo versatur : Delia interea, et virum et amantem frustrata,

Nescio quem tacita callida nocte fovet.

En quantum mutata ab illa Delia, quam Tibullus in prima elegia diligebat, ab illa etiam quam in proxima misere obsecravit ! Nuper mobilem modo puellam vidimus, leviorem quam praviorem, semel absentibus et conjuge et amante lapsam ; nunc versutam adulteram, simulandi ac dissimulandi peritam, quos dolos ad fallendum virum amans perdocuerat ipsius amantis damno vertentem. Offendit ante Delia : nunc peccatum in nequitiam usque inveteravit. Ita se re habente, in el. 6 eo zelotypiæ Tibullus procedit, ut cum mariti causa causam propriam consociet, cæco homini aperte puellæ fraudes (1) denuntiet, imo se incredibili joco fingat sua ipsius furta confiteri, se omnes pœnas velle perpeti dummodo ipsi Delia servanda credatur et a bellulorum juvenum cœptis defendenda (v. 15-42). Nec solam mariti sævitiam sibi in auxilium vocat; sed Bellonæ oracula, cujus sacerdos, interrogante Tibullo, et Deliæ mœchis et ipsi Deliæ pœnas indixerit (v. 43-56) ; sed vetulam matrem, suorum amorum consciam, propter quam unam se natæ iratum parcere declarat (v. 57-

(1) De puellæ virum fallentis artibus, cf. Ovid. *Amores*, I, 4.

68[1]). Quin etiam, licet hortetur puellam ne

... sævo sit casta metu, sed mente fideli,

interdum terrere conatur verberum minis (v. 73 sq.), terrere quoque describendo quam misera turpisque senectus mulierem maneat infidelem (v. 77-84). Perspectum ex his habes, quantopere res inde a præcedenti carmine immutatæ sint : postquam poeta in el. 5 ipsius Deliæ affectus movere, gratiam captare tentavit, in el. 6, alienis præsidiis innisus, nihil aliud quam petit ut a marito, a matre lascivientis libido cohibeatur; illic vel suavibus, vel flebilibus verbis mollem animum allectabat, hic utinam divinæ humanæque ultionis metus a peccando deterreant! Quotiens illius modi fomentis indiget amor, desperato plane morbo laborare videtur. Et ipse Tibullus jam non ut antea diligit : pietas, benevolentia retro abiere ; instant etiamnunc zelotypiæ stimuli, devincit vis assuetudinis : vincula vero sensim dissolvi, amorem ad finem vergere ubique sentimus. Ars ibi plurima, mirus sententiarum impetus, mirus verborum splendor, deficiente tamen intimo illo fervore quo

(1) Hanc partem et reliquos usque ad finem versus O. Korn, Scaligerianæ quidam libidinis æmulus, expungere ex el. 6 voluit et in el. 1 inserere. Mirandam carnificinam, unde Tibullus oppido dilaniatus evadit!

cetera carmina ardebant. Nequidquam elegiæ finem facit nobile distichon :

> Hæc aliis maledicta cadant : nos, Delia! amoris
> Exemplum cana simus uterque coma.

Spem candidam, sed quam carminis summa refellat! dum Tibullus, male sibimet, puto, credulus, amores fingit in æternum productos, mutua interea caritas jam in dies deminuta exstinguebatur.

Hæc est illa elegiarum series, mirum sane opus, imo unicum, sive Tibulli reliqua carmina, sive omnia eroticorum scriptorum spectaveris. Namque, cum id illis solitum sit, ut sub uno amicæ nomine casus sensusque varios celebrent, at parum arcto vinculo conexos : hic solida tibi fabula præsto est, ab omni parte temperata, in qua principium, nodus clausula discernatur ; præsto est, ut nostrates aiunt, amatoria quæpiam *novella*, poetica ratione adumbrata. Verum, quod auctor soluto sermone utens continuo narrationis tractu prosequatur, poeta noster carptim perscribit, summis aliquot culminibus illustratis, inter quæ spatia, ut ita dicam, interjacentia, lectorum ingenio relinquuntur. Illa autem

sic fere illustrat, ut nunquam, dramatico ritu, violentissima quæque amorum momenta nobis ponat ante oculos, sed tranquilliora tantum intervalla; ut magis habitus animi diuturnos quam repentinos motus adumbret. Si enim res ageretur in scænis, nunc amans induceretur primo amicæ obtutu captus vel primo colloquio fruens, nunc eum spectaremus subita mulieris perfidia perculsum mediisque zelotypiæ furoribus implicitum, nunc ipsi amantum discidio vel ipsi gratiæ reconciliationi adessemus : Tibullus contra cum præcipua illa amoris discrimina non nisi oblique attingat, in temporibus paulo vel citerioribus vel ulterioribus immoratur : ita fert lenis tenerque animus, mire cupidini idoneus, ei vero cupidini quæ altior perduret quam vehementior erumpat.

Porro anquirere potest aliquis quid sit ficti, quid veri in his Deliæ amoribus. Pleraque procul dubio sive poeta narrat quæ evenerint, sive quæ senserit explicat, genuino veritatis colore nitent etsi nonnulla quidem sunt, velut versus de janua (el. I, 2), de magicis sagæ operibus (ibid.), de fraudibus amatoriis quibus præsens vir fallatur (el. I, 6), de Bellonæ sacerdotis vaticinio (ibid.), ubi agnoscas plus artem quam rem suppeditasse : quin etiam, si forte nobis in manibus essent Alexandrinorum scriptorum elegi, com-

munes, credo, locos passim notaremus, de Græcis exemplaribus a Tibullo depromptos. Quidquid autem est, ficticia a veris ibi certa linea separare vix tentandum : adeo apud Tibullum natura arte, ars natura temperatur.

CAPUT III

TRES DE MARATHO PUERO ELEGIÆ : QUO TEMPORE SCRIPTÆ SINT. — DESCRIBITUR EORUM AMORUM TENOR. — DE MUTUO EL. VIII ET EL. IX ORDINE. — OBITER NOTANTUR QUINQUE QUARTI LIBRI DE SULPICIA ET CERINTHO ELEGIDIA.

Quinque carmina de Delia et carmen in natalem Messalæ insequitur in libro I series elegiarum de Maratho (4, 8 et 9) (1) : molli quodam puero, quem noster poeta, — sicut Catullus Juventium, Vergilius Alexandrum (Alexim), Horatius Lyciscum, — ha-

(1) Jam vidimus primum de Maratho carmen (el. I, 4) elegiis de Delia interjectum. Sed id etiamsi Bæhrens opinatur consulto a Tibullo factum, propter illud quod dicunt « variatio delectat », potius existimo aliqua primi editoris neglegentia accidisse : nam si poeta elegiarum de Delia tractum ita dividere voluisset, certe in medio el. I, 7 collocavisset, quæ una per se constat, non alteros alteris amores permiscuisset. Ceterum, si el. 4 post el. 7 reponis, cunctus liber tibi habetur optimo artificio et fere secundum temporum ordinem constitutus : series el. de Delia, utpote clarissima amplissimaque libri I pars, et quæ Messalæ quoque nomen habeat, imprimis versatur ; post quam minor el. 7, amore vacua, quasi pausam efficit ; deinde subit altera eroticarum elegiarum series, de Maratho : cui terminus accedit el. 10, ante ceteras quidem scripta, sed quæ propter materiæ speciem ubilibet apte locetur.

buit in deliciis. Hosce Marathi amores si circa annos 728-729 posueris, haud multum aberrabis a vero; at Deliæ saltem amoribus certo postponendi, quanquam plures docti (et necessario quicumque, cum Sigmundo Teuffel, el. de Delia usque in an. 730 proferunt) priores esse de Maratho elegias, sive propter amoris naturam, seu præ carminum condicione evincere laborant. Sed frustra, mea sententia, laborant. Ac primo verisimillimum duco Tibullum, abrupta cum Delia consuetudiue pertæsum, inde in nequiores illos amores delapsum, nedum Sigmundo Teuffel concedam contrarium ordinem magis esse naturæ congruum. Deinceps miror quo pacto idem contendere potuerit Tibullum elegiis de Maratho adhuc peregrinum in femineis rebus exhiberi, cum ibi per multos versus constet (vid. el. 8, 1-6, 25-38; el. 9, 53-74) juveni jam muliebrium affectuum subtilissimam experientiam adesse. Non magis perspicio quid sibi velit quod addit, apud Marathum urbana tantum modo oblectamenta, nondum, ut fit apud Deliam, rusticas res celebrari : namque in pluribus de Nemesi elegiis, in omnibus de Glycera et de Sulpicia, quæ certe tamen serius confectæ sunt, ne verbum quidem de ruris studio apparet; et nunc utique non erat locus. Denique non infitias eo tria hæc carmina, quamvis perpulchra, paulo plus quam carmina de Delia rhetoricis fucis aspersa esse : verum

rei causam habes, non poetæ imperitiam, minorem autem affectuum vim, minus uberem materiam cujus lacunæ poeticis expleantur ornamentis. Ita illorum argumenta qui Marathi amores priores esse volunt aut irrita labuntur, aut possunt etiam in contrariam rationem retorqueri.

El. I, 4, consuetudinis proœmium pleraque in generalibus sententiis continetur (cf. el. I, 1 et II, 1). Ceterum conflata videtur ad Horatianæ satiræ II, 5 imitationem : uti enim hic est dialogus inter Ulixem Tiresiamque de eblandiendis senum hæreditatibus, ita ille poetam inter et Priapum (cf. alioqui Horatii *Sat.* I, 8) artes docentem quibus formosi pueri captentur. Carmen vero Tibullianum ab Horatiano ideo discrepat, tum quod erotica solum suavitate, minime satirico sale pollet, tum quod artificio est longe minus perfecto. Etenim, in satira cum altera dialogi persona (Ulixes) mythicæ personæ mythica respondeat, in elegia fabuloso Priapo vera et de præsenti tempore assumpta opponitur, nempe Tibullus ipse, post quem etiam aliquem cernimus « Titium » (v. 73 sqq.), quo nomine Romani jurisconsulti solebant imaginarium virum nuncupare ; præterea, apud Horatium colloquentum indoles, quamvis in jocum

(1) Circa idem tempus potest Tibullus duo *Priapea* scripsisse, quæ in codice Cujaciano leguntur ? nisi fortasse hæc juvenilia opuscula putes.

deterta, non male « sibi constat » ; Tibulli vero Priapus, tenera flebilique voce utens, nihil aliud videtur quam ipse personatus poeta.

Longus autem ille sermo quo Tibullus, nomine Priapi, sua dubio procul de puerorum amoribus experimenta profert, ad hoc fere redigi potest. Primo monetur amator, si veneris fructum velit capessere, ut se patientem pertinacemque, se in occasione arripienda properum, se puero omnibus modis præstet obsequentem ; deinde obsecrantur pueri ne divitum nummos malint quam doctorum carmina : sin autem lucri gratia musas despexerint, eis gravia impendere maledicta. Eatenus communia præcepta Tibullus dedit, qualia videlicet Ovidius olim in libris de Arte amandi : accedit jam brevis (v. 73-84) epilogus, cujus quattuor ultimi versus peculiarem poetæ ancorem, nempe Marathum nobis indicant :

> Heu, heu, quam Marathus lento me torquet amore !
> Deficiunt artes, deficiuntque doli.
> Parce, puer, quæso. . .

ex quibus sat apparet hucusque illum aucupari, non nactum esse delicati pueri gratiam.

In el. 8 Tibullus, voti, ut videtur, compos, de propriis tamen amoribus tacet, ipsius Marathi curas adumbrat, qui jam puellam amare cœpit nec

redamatur. Hic autem rerum habitus superiori elegiæ quodam modo respondet: alias (el. 4, v. 77, 81) « spernebatur » Tibullus, « torquebat » Marathus, nunc (el. 8, v. 55, 49) « spernitur » Marathus, Pholoe (1) « torquet ». Illa fastidiosa est quædam meretrix, quæ cum semel puero summa concesserit (v. 25 sq.), jam miserum respuit et irridet, eo acrius brevioris veneris recordatione flagrantem. Tibullus igitur, inter utrumque gerens benevoli lenonis vicem, suo puero puellam conciliare nititur: postquam perditum Marathi amorem miserabiliter descripsit (v. 1-26), deprecari (v. 27-78) Pholoen ne « cariori auro juveni » difficilis maneat, ei deliciarum brevitatem, Marathi quoque venustatem allegare, Marathi molles querelas, qui « quondam ludebat amantes, nunc omnes odit fastus » et clausam luget januam. Tandem supremo disticho futura renuentis desideria lepidissime nuntiantur:

At te pœna manet, ni desinis esse superba :
Quam cupies votis hunc revocare diem !

(1) Existit etiam in pluribus Horatii locis (*Od.* I, 33; II, 5; III, 15) Pholoe aliqua puella; quam, cum « aspera » et « fugax » dicatur, huic Tibulli Pholoe quidam assimulare voluerunt: inanem, mea sententia, lusum, namque nemo nescit apud Horatium multa mulierum nomina nulli personæ certæ assignari; et præterea, in deligendis græcis amicarum cognomentis, necesse est ut aliquando varii poetæ fortuito convenerint. Idem de Neæra, de Cerintho, Horatianis personis, animadvertendum.

In el. 9 de integro poeta redit ad suospte amores, verum ut eis tristiter finem fieri cernamus. Quippe Marathus, pretio victus, fidem erga tam benignum Tibullum violavit, se podagroso seni venumdedit. Inde querulum carmen, in duas potissimum partes divisum : alteram (v. 1-52) in Marathum, ubi fletus, iræ, minæ cum suavi præteritorum gaudiorum memoria miscentur; alteram (v. 53-74) in Marathi corruptorem, ubi infensus exoptat poeta ut adulteriis domus senis turpetur, opes disperdantur : te, inquit,

> Rideat assiduis uxor inulta dolis,
> Et cum furtivo juvenem lassaverit usu,
> Tecum interposita languida veste cubet...

De quo notandum est, « juvenem » illum qui senis conjuge jam potitus esse dicitur (v. 65-72) eumdem videri pluribus ac Marathum; puellam autem, ipsam quæ in superiore elegia inducebatur Pholoen : sed cum pæne incredibilis hæc rerum vicissitudo est, tum nihil existit in elegiarum textu unde quid probabilitatis trahat, imo Pholoes fastidia ardoribus puellæ in el. 8 expressæ apprime repugnant : itaque talem explicationem oportet ceteris doctorum somniis annumeres. Carminis clausula (v. 77-84), conversa ad Marathum oratione, omnem dubitationem de consuetudinis exitu tollet : profitetur Tibullus

brevi fore ut « fallaci amore » liber persolvat Veneri grates.

Carminum illorum duo postrema recognoscens, legitimo ordine steti qui in scriptura habetur; quanquam omnes fere graviores, abusque Friderico Gruppe, critici (præcipue Teuffel, Bæhrens) elegiarum 8 et 9 præposterum ordinem faciunt. Quibus auctoribus, Tibulli cum Maratho consuetudo jam finem cepisse intellegitur, antequam Tibullus pro eodem Maratho postulet Pholoes benevolentiam; ita ut, exuta probrosi amoris labe, mera nunc videatur puerum inter et poetam amicitia superesse. Illud fateor haud absurde inventum, fabulamque sic explicatam minus offensionis nobis recentioribus habere, cum Tibullum videamus post brevem errorem statim ad naturales mores reverti. Sed Frederici Gruppe conjecturam, etsi plurimum habet quod placeat, nihilominus falsam affirmare licet. Non solum enim ultimum el. 9 distichon, quod poeta votivæ palmæ, Veneri oblatæ, inscriptum fingit:

> Hanc tibi fallaci resolutus amore Tibullus
> Dedicat et grata sis, dea, mente rogat.

aptissimus esse videtur totius seriei epilogus; sed imprimis sex ejusdem elegiæ versus (39-44) omnino

vetant, ne posterior el. 8 ducatur : nempe Tibullus puero : Quid faciam, inquit,

> Quid faciam, nisi et ipse fores in amore puellæ?
> Sed precor exemplo sit levis illa tuo.
> O quotiens, verbis (1) ne quisquam conscius esset,
> Ipse comes multa lumina nocte tuli!
> Sæpe insperanti venit tibi munere nostro
> Et latuit clausas post adoperta fores.

Porro quis addubitet his versibus breviter contrahi prioris el. 8 materiam? puellam hanc, in cujus amore Marathus esse dicatur, eamdem esse ac Pholoen illam quam nuper Tibullus — neque, ut videtur, frustra — deprecatus sit? Equidem hinc Bæhrens nodum adimit, mirifica illa ratione quæ solita ei est : tria nempe disticha amovet, amotaque et ad libitum distorta medio el. 8 textui inserit! At quicumque parum laudant illiusmodi ludibria, ii saltem non possunt quin el. 9 seriei statuant novissimam (2).

(1) Vel potius *vobis* : quæ nonnullorum doctorum conjectura vehementer probanda mihi videtur.

(2) Adde etiam elegiam 8 cum el. 4 melius cohærere, quando hujus disticho :

> Heu, heu! quam Marathus lento me torquet amore!
> Deficiunt artes deficiuntque doli...

respondere videntur illius versus :

> Hic Marathus quondam miseros ludebat amantes.
> . . . .
> Sæpe etiam lacrimas fertur risisse dolentis...

ubi pueri fastus, non perfidia indicatur.

Quod si carmina de Maratho in universum judicare volumus, ea apparet, artificio quidem haudquaquam elegiis de Delia imparia, sensibus tamen minus egregiis, minore caritatis vi pollere; item procacioribus insigniri verbis imaginibusque magis libidinosis (vid. el. 8, 25-38, el. 9, 55-66) quam fit in cetero Tibullo, tametsi ad Catullianam illam obscenitatem nusquam come profluat ingenium. Utriusque rei causa profecto in ipsa consuetudinis natura constat : ibi enim cupidinis stimulis agitatur poeta, non ex animo amat. Quod etiam mihi singulariter eo confirmatur, quod inter tres de Maratho elegias, prima nihil fere præter generalia de pueris habet, secunda tota versatur in Marathi et Pholoes amoribus, una el. 9 proprium Tibulli in puerum ardorem exprimit.

Circiter idem tempus, amores Sulpiciæ et Cerinthi (Cornuti ?) Tibullus illustrabat quinque elegidiis, scilicet el. 2, 3, 4, 5, 6 libri IV, quibus adjungere etiam par est el. 2 lib. II, in Cornuti novi mariti natalem. De his autem ampliora quam quæ jam in Prolegomenis attigi nunc addere non opus est, tum quia Tibullus hic alienos sensus, non proprios, adumbrat, tum quia nuper doctus vir Larroumet totam rem dilucide explicabat (1) : in summa sal-

(1) *De quarto Tibulli libro, III.*

tem observandum, Tibulliana de Sulpicia carmina, etsi longe angustiore spatio inclusa, nihilominus elegiis de Delia pulcherrimis et æqualia esse, et passim mira stili sententiarumque cognatione accedere (cf. el. IV, 5, 5 sq. et 6, 17 sq. cum el. I, 2, 63 sq.; etc.).

CAPUT IV

QUÆ SIT HORATIANA GLYCERA, TIBULLI AMICA. — AD ILLAM ELEGIAS XIII ET XIV LIBRI QUARTI REFERENDAS. — QUINQUE LIBRI SECUNDI ELEGIÆ DE NEMESI, NOVISSIMA POETÆ DOMINA. HIS ULTIMAM MANUM DEESSE. — ACCEDUNT QUÆDAM DE EARUMDEM TEMPORE, NUMERO, ORDINE. — AMORIS IN NEMESIM SPECIES.

Horatius, in oda I, 33 quam ad Tibullum pertinere supra memoravi, ita orditur:

Albi, ne doleas plus nimio memor
Immitis Glyceræ, neu miserabiles
Decantes elegos, cur tibi junior
Læsa præniteat fide.

Quænam sit illa — ficto certe nomine — Glycera, multi definire laboraverunt: pars nullam aliam ac Deliam, (Spohn, Golbéry[1]), pars ac Nemesim (Scaliger, Passow, Dieterich), alii tertiam esse mu-

(1) Iidem insulsissime illam Lygdami Neæram Deliæ assimilaverunt; ita ut unam Planiam modo Deliam, modo Neæram, modo Glyceram appellatam habeant!

lierem (Dissen, Gruppe, Hertzberg, Teuffel, etc.) opinantes. De Delia vero, cum illud Horatii « junior læsa præniteat fide » (cf. el. I, 6, v. 17 sqq. de juvenibus amasiis) non ita male cum Tibulli dictis congruat, alioquin et vocabulum « immitis », quod nullo unquam modo Deliæ convenit, et ipsius nominis condicio (Glȳcĕră pro Dēlĭă) conjecturæ omnem veri speciem adimit. Nemesis quidem nomen prosodia satis apte quadrat (Nĕmĕsĭs = Glȳcĕră'), neque absurda commentatio est qua Dieterich explicat ab Horatio et a Tibullo eamdem feminam variis cognomentis designari potuisse; insuper, quamvis rapax vel avara præsertim dicenda sit, jure et « immitis » nuncupari potest (vid. el. II, 4 et 6) : verum, cum eadem a Tibullo meretrix vulgata perhibeatur, vix video quid « læsa fides » hic sibi velit; et ille saltem Tibulli rivalis nullo modo « junior » dici possit (1), quandoquidem a Tibullo accipimus (el. II, 3) Nemesis amasium nihil aliud esse quam barbarum et fœdum hominem, nummis, non juventa prænitentem. Igitur, quum Glycera nostra nec Deliæ, nec Nemesi assimulari debeat, necesse est ut tertia mulier interim a Tibullo sit amata. Neque obest, quod perperam contendit Bæhrens,

(1) Quanquam non semper potest *Glycera* pro *Nemesis* poni (v. gr. : *Nemesis mea*). Sed parvi hoc interest : cf. apud Propertium nomen *Cynthia* pro *Hostia* usurpatum.

notum Ovidii distichon (*Amor.* III, 9, 31 sq.) ubi duæ tantummodo Tibulli dominæ significantur :

> Sic Nemesis longum, sic Delia nomen habebunt,
> Altera cura recens, altera primus amor.

Etenim cum ad Tibulli rogum accersere amicas Ovidius poetico artificio vellet, certe non opus erat ut cunctas sine delectu enumeraret, imo solas inducere Deliam ac Nemesim, præcipuas scilicet et extremas, multo lepidioris artis erat. Quod vero ex Ovidiano epicedio concludere licet, poeta Glyceram Delia posteriorem, priorem Nemesi amavit.

Protinus quæretur, quid de illis quos notat Horatius « miserabilibus elegis » factum sit ? Eos, ut putat Hertzberg, penitus periisse, parum probabile : præsertim si memineris quot tibulliana vel pseudotibulliana carmina servata sint editaque post defunctum poetam. Ideo necessario nobis venit in mentem elegidiorum 13 et 14 libri quarti, quæ nullum mulieris nomen præferunt. Nonnulli quidem elegias 13 et 14 ad Deliam (nam de Nemesi agi non potest) referre voluerunt (Passow, Dieterich) ; quasi poeta, concluso jam primo elegiarum libro, novum de Delia librum ab hisce carminibus incepturus fuerit ; quem nunquam posthac absolverit cujusque reliquias carminibus libri IV — quibuscum hæc

ipsa externa quadam conformatione conspirant (1) — editor inseruerit. Sed fieri nullo modo potest, ut elegiæ I, 6 succedat elegia IV, 13, cum perspectum jam habeamus in illa summum statui consuetudinis terminum, huic autem nulla reconciliatæ gratiæ mentio insit : ac si quis utramque de eadem muliere intellegere omnino vellet, potius foret censendum elegidia libri IV eadem tempestate qua elegias lib. I conscripta : el. IV, 13, lyrico quodam colore pollentem, non procul ab el. I, 3; el. IV, 14, læsi simul amoris et pacati animi monumentum, intra el. I, 5 et I, 6 inserendam. Quisquis vero rem sagacius indagaverit, ne hoc quidem probabile existimabit, quoniam apud utramque carminum seriem et amicæ indoles et poetæ mens quam apertissime discrepat. Illi contra Glyceræ mulier quæ apparet in el. IV, 13 et 14 assimulari optime potest: quippe « immitis » est (vid. el. 13, v. 19-22), et infida (vid. el. 14), et quanquam « junior » amans ab Horatio designatus non hic reperitur, nihil obstat quominus aliud putemus elegiæ fragmentum periisse, ubi rivalis conditio expressis verbis indicata fuerit.

Ut uno verbo colligamus argumentum, videntur ad nullam aliam pertinere quam Horatianam Glyceram el. 13 et 14 libri IV.

(1) Ita recte Lachmann. — Cf. de universa quæstione S. Teuffel, *Tibullus*, 2, § 7.

Ceterum ambo carmina, et versuum paucitate et pressi sermonis brevitate, proxime accedunt ad elegidia de Sulpicia, ideo post Deliam, ante Nemesim amatam condita videntur. Jam tunc nobis apparet, non ingenuus ille primævi amantis fervor, sed lassus animus et inquies, qui vitæ mala perpessus, curarum oblivia misere quærit in amore, præscius tamen quot quantæque sibi curæ « medio de fonte leporum » surrecturæ sint; simul amandi avidissimus, gaudiorum minime capax.

El. 13, quæ hujusce seriei caput haberi possit, clarissimas quasque Tibulli elegias tum formæ venustate adæquat, tum sensus vehementia facile vincit. Cujus in priore parte vim amoris sui taliter poeta profitetur, ut nemo fere Romanorum scriptorum tam splendida tamque fervida edidisse unquam dici queat : ita cupidine elatus ut verba hujusmodi habeat (v. 9 sq.) :

> Tu mihi curarum requies, tu nocte vel atra
> Lumen, et in solis tu mihi turba locis,

ignibus vero illis aliquam inducens zelotypiæ nubeculam (v. 5 sq.) :

> Atque utinam posses uni mihi bella videri!
> Displiceas aliis : sic ego tutus ero.

In altera parte Tibullum, velut subito expergefac-

tum, inconsultæ confessionis pænitet; sese clamat nimis garrulum « sua pignora cedere », jam dominam, hac sua imbecillitate fretam, ferociorem evasuram, jam fore ut inertem servum « audacius urat ». Rursus tamen ad obsequium regressus, « tuus usque manebo! » inquit, negatque se unquam servitium dominæ deserturum. Ita, tam parvo spatio complexos, cunctos hic habes motus quibus amantum mentes exagitari solent: cupientis exsultationem et timores, servientis interdum pudorem, morigerantis ignaviam. Forma' autem nusquam apud Tibullum præstantior: nihil enim redundat, nihil meri ornamenti causa additum; « sermonis tenor tam simplex ac verus est quam acer, unusquisque versus versu sequenti augetur, ita ut continua sententia in clarissima luce usque progrediatur (1). »

El. 14 non excedit tetrastichi fines: quod tetrastichon longioris elegiæ initium esse perperam F. Gruppe (2) conjecit, ego perfectum habeo epigrammatium, quasi brevem aliquam amantis suspirationem, quæ videlicet cum notissimo illo Catulli disticho: *Odi et amo,...* optime comparari potest. El. 14 autem videtur antecedenti respondere: illic igneus quidam procellosusque spiritus, hic remissior tepi-

(1) S. Teuffel, *loc. cit.*

(2) Imo idem suo marte elegiam hanc extendere et de Glycera tres alias conflare tentavit : ingeniosum, sed inutilem plane lusum.

diorque ; illic flagrans amantis confessio, hic de peccato amicæ querimonia. Nempe Glyceræ infidelitas, quam est jam ex el. 13 (v. 5 sq.) prævidere, nunc aperte declaratur :

> Rumor ait crebro nostram peccare puellam,
> Nunc ego me surdis auribus esse velim.
> Crimina non hæc sunt nostro sine facta dolore.
> Quid miserum torques? rumor acerbe, tace. (1)

Est quod miremur mæstam illam Tibulli indulgentiam : qui non poscit ne amica peccet, tanquam si jamdudum pernoverit feminæ naturalem genuinamque esse perfidiam, optat tantummodo ejus peccata, silente fama, nescire. Hoc, credo, non dixisset Deliæ amans ; hoc sentit vir ætate provectior, multa expertus, jam perdoctus quænam sub cunctis amoris mendaciis præstigiisve latitent.

Post elegias 13 et 14 verisimile est, ad complendam de Glycera seriem, plura carmina destinata fuisse: de quibus nihil conjicere nobis licet, sive olim casu aliquo perierunt, sive Tibullus ipse ea perducere ad finem omisit. At duo hæc elegidia satis sunt ut in amore Glyceræ Tibullianum ingenium ad summum pervenisse testentur, gloriam poetæ pariant, quanquam brevissima, maximam.

(1) Cf. quamdam Ovidii imitationem in *Amor.* III, 14, v. 1 sq.

Venimus nunc ad ultimos Tibulli amores : illam Nemesim quæ celebratur in quinque (1) libri II elegiis (el. 1, 3, 4, 5, 6 : el. 2 autem supra vidimus epithalamion esse Cornuti et Sulpiciæ, male ceteris immixtum). Eas autem elegias, vel si deesset Ovidii testimonium (2), novissimum Tibulli opus esse ratum haberemus : ex ipsa enim carminum condicione cernitur librum II defuncto auctore editum, antequam summam ei manum imponere potuisset ; quod præsertim el. II, 3 et II, 5 inspicienti satis liquet. Quæ de duobus his scriptis Gruppe, Bæhrensque et alii disseruerunt, non opus est ut hic singillatim referam ; sed rei summa in hoc propemodum continetur. 1° El. 3 primo obtutu comperitur tribus fragmentis constare (v. 1-34, v. 35-58, v. 59-80), quæ apposita, non conjuncta sint, ita ut primam elegiæ materiam potiusquam ipsam elegiam habeamus. 2° In el. 5 manifesta lacuna inter v. 66 et v. 67 intercedit, iterumque vix intellegitur quo vinculo v. 80 cum sequentibus cohæreat. Præterea duæ parentheses (v. 21-38 : *Nec fore credebat — candidus agnus ovis* ; v. 71-78 : *Hæ fore dixerunt — præmonuisse boves*) ita sententiam impediunt, ut tales nunquam certe Tibullus, imo nullus bonorum poetarum excogitare potue-

(1) Etsi el. II, 1, Nemesis nomine carens, non ita necessario huic seriei annumeratur.

(2) Vid. *Amorum* el. III, 9, supra cit.

rit: cum vero non alius sit carminis locus ubi easdem queamus collocare, sequitur ut interpolatione aliqua huic elegiæ insertæ sint. Insolitam autem habes in priore parenthesi interpolamenti naturam: si enim fragmentum quod a v. 23 ad v. 38 patet diligenter inspexeris, hoc comperies lepidissimo stilo scriptum Tibullianoque charactere insignitum, simul animadvertes eadem fere quæ fusius hic atque bucolico magis more expressa sint, paulo infra (v. 55-62) iterum, at brevius vehementiusque, significari. Quid igitur? oportet ad hanc conclusionem inducaris: longum de quo agitur fragmentum non esse litterati cujuslibet interpolatoris opus, sed ab ipso proficisci Tibullo, qui sententiam primo his elegis explicatam deinceps aliter tractare maluerit, priorem vero scripturam in extrema scheda reliquerit. Item, etsi minus perspicua res est, pro additamento habendos esse suspicor, sive Tibulliana origo, sive aliena reputatur: elegiæ 1 versus 39-42 et 51-60; el. 3 v. 41-46 : el. 6 v. 23 sq. Unde hoc de libri II formatione in summa ponere licet, elegias nondum omnibus numeris absolutas collegisse editores; rejectanea quædam vel (quod aiunt) *incerta sede* quæ in schedis Tibullianis legebantur carminum textui, utut possent, inseruisse; interdum etiam juncturas suo marte addidisse (1).

(1) In el. 5 videlicet Bæhrens non absurde conjicit versus 19-22, commissuræ faciendæ gratia, ab editore conflatos. Versus quoque

Cum ita singulis elegiis manum summam deesse liqueat, non dubito saltem quin completum de Nemesi librum teneamus : etenim numerus ille quinque quem Tibullus in partienda materia sollemnem habuit (quinque elegiæ sunt de Delia, quinque de Sulpicia), hic non temere occurrere videtur, sed perfectæ seriei esse indicium. Ordo quoque carminum idem propemodum nobis traditus est, quem poeta præfiniverat. El. 1 manifesto procemium est Nemesis amorum (cf. el. I, 1, de Delia) ; sequens el. 3 tum quadam materiæ necessitudine cum el. 1 cohæret, tum per ultimos versus primis el. 4 versibus annexa est. Postremarum quidem elegiarum præstat ordinem invertere : el. 6 jure præ el. 5 ponetur, non solum quia hæc aptiorem videtur efficere reliquæ seriei clausulam, verum etiam propterea quod verisimillime in hoc pulchro, sed admodum incomposito carmine novissimam habemus Tibulli lucubrationem. Alioquin ex el. 5 licet spatium temporis definire cui adscribendi sint Nemesis amores : cum ibi, non multis mensibus priusquam obiret, Tibullus scripserit se « annum » jam (1) cupidineis telis ja-

31 sq. spurios esse credam. At Bæhrens, semper in re critica immodicus, in eadem elegia Tibullo nimio plura detrahit.

(1) Miror quamobrem plerique interpretes hos v. 109 sq. in proprium sensum accipiant, perinde ac si de vero morbo agatur. Enimvero, si antecedentia perlegeris, dubitare nequeas quin « morbus » ille « saucii » Tibulli pro amore metaphorice sit usurpatus.

cere saucium, cernimus eum vix ante an. 734 initium consuetudinis fecisse.

His positis de libri II condicione, nonnulla etiam, si attendas intimæ carminum indoli, notanda sunt, quibus elegiæ de Nemesi distinguuntur. Imprimis quæque elegia — forsan ad Horatianarum Epistularum exemplar, quæ nuperrime in lucem prodierant — dedicata est alicui de poetæ familiaribus : elegiæ 1 Messalæ nomen inscriptum, el. 3 Cornuti, el. 5 Messalini, el. 6 Æmilii Macri ; et elegiam 4, quæ una tali dedicatione caret, Tibullus, credo, si absolvisset opus, amici cujusvis nomine decoravisset. Secundo inest peculiaris his elegiis color, festivi aliquid et faceti, quod medium inter amantis dolorem solet gliscere : ut apparet præsertim ex el. 1 v. 69-72, el. 3 v. 65-68, v. 79 sq., el. 4 v. 1 sq., v. 13 sq., v. 55-60, el. 5 v. 111-114. Denique crebrius hic reperiuntur mythici excursus, sententiæ ab amore diversæ, loci communes qualium videlicet amplificationem habes in el. 1 v. 47 sqq. (de rure), in el. 3 v. 36 sqq. (de præda), in el. 6 v. 21 sqq. (de spe).

Quæ omnia eo pertinent, ut amor in hoc libro minorem quam alibi locum obtineat ; præter autem ruris studium, amicitia, pietas in patriam, varii quoque sensus, plura sibi vindicent. Quippe maturus jam Tibullus non toto pectore amat ; ardet quidem magnopere et dolet, sed tanquam vir formoso cor-

pori obnoxius, voluptatis impense cupiens, sui tamen compos et ad alia quoque studia attentus, nedum nobis nunc referat quæ effuso animo de Delia, quæ elato de Glycera quondam canebat. Ipsius Nemesis persona cum hoc novo Tibulli habitu oppido congruit : rapax illa est et aspera meretrix, quæ palam corpore quæstum facit, poetam vero egregia forma, « loquacibus oculis », libidinosis quoque artibus devinctum retinet. Et nonnulla de Nemesis vita inveniuntur apud Tibullum, quibus feminam revera extitisse constat : quæ fertur et habitavisse cum puellula sorore, immaturo quondam funere, cum fenestra præcipitavisset, interempta (el. 6, v. 29-40), et in deliciis haberi a crasso et pecunioso homine, condicione olim servili (el. 3, v. 59 sq.), quem sæpe coegerit

Barbara gypsatos ferre catasta pedes.

Quæ vero supremis his Tibulli amoribus fuerint vicissitudines, ex ordine facile prosequar.

El. 1, primæ libri I eo consimilis quod item circa rusticam vitam, Messalam, amorem simul versatur, Nemesis mentione caret. At posquam Ambarvalia agrestiaque numina Tibullus amplissime celebravit (v. 1-66), ad quæ sub fine etiam carminis (v. 83-90) revertitur, transitione ad Cupidinem facta, qui « di-

citur inter agros natus » et « illic indocto se exercuit arcu » :

> Hei mihi, quam doctas nunc habet ille manus !

exclamat ; et paulo infra :

> Ah miseri, quos hic graviter deus urget !...

Ubi velatis verbis amoris, illiusque asperi, primordia significat.

Primæ elegiæ artificiose opposita est el. 3 : rura, illic generatim laudata, hic in fastidium Tibullo vertunt, idcirco quod, inquit,

> Rura meam villæque tenent, Cornute, puellam.

Agri jam « tristes » nuncupantur ; utque in el. 1 dii magnifice colebantur, quibus auctoribus hominum genus « querna glande » pasci desuevit, primos « aurea uva dedit liquores » (v. 38 sqq.), sic rursus contrarium hoc fit in el. 3 votum (v. 68) :

> Glans alat, et prisco more bibantur aquæ !

Ceterum multæ res in hoc carmen congestæ, quod jam vidimus tribus separatis fragmentis constare. Primam fere partem (v. 1-34) longa digressio possidet de Phœbo Admeti boves, amoris gratia, pas-

cente; alteri (v. 35-58) querelæ de præda insunt, per quas Nemesis luxum cupiditatemque jam perspicere cœpimus ; tertio (v 59-80) accedit imprecatio in amatorem qui Nemesim ab urbe abduxit, in agriculturam cujus causa ipse est Nemesi orbatus.

Tibullus finem superioris carminis faciebat declarando sese, si ad imperium dominæ sulcaret agros, ultro vincula, ultro verbera toleraturum. Initio el. 4, continuata metaphora, « servitium triste », graves « catenas » queritur ; et miseranda voce : Nunc, ait,

> Nunc et amara dies et noctis amarior umbra est,
> Omnia nunc tristi tempora felle madent.

Nec jam de absentis desideriis agitur : redundat exclusi amantis dolor. Quippe per carmina Tibullus se placiturum Nemesi speravit ; Nemesis vero carmina parum curat, pretium usque flagitat, pauperique poetæ claudit januam. Inde malesuadæ luxuriæ detestatio, inde diræ in avaram dominam. Quorsum tamen tætra illa dicta evadant ? ut submisse tandem fateatur : « modo me Nemesis mea placido vultu videat, mille venena bibam ! » (v. 59 sq.)

Ignava illa amantis in amatam obtemperatio egregie in el. 6 ostentatur, quæ, ut mihi videtur, elegiarum de Nemesi miserabilissima est et perfectissima. Optat Tibullus cum suo Macro castra petere,

optat Veneri puellisque valedicere : sed magna dum loquitur, phantasiam subit dominæ superbientis imago, « fortia verba clausæ fores excutiunt ». Hinc aperitur animus secum pugnans, invisæ servitutis tenax, spem inter et angorem distractus : quocirca passim admireris elegos, quibus nihil unquam ullus eroticorum scriptorum vel simplicitate præstantius vel spectabilius arte condiderit : sive, verbi gratia, poeta exclamat (v. 13 sq.) :

> Juravi quotiens rediturum ad limina nunquam !
> Cum bene juravi, pes tamen ipse redit,

sive ingemiscit (v. 19 sq.) :

> Jam mala finissem leto, sed credula vitam
> Spes fovet et fore cras semper ait melius.

A mæstis igitur illis sententiis ad lenæ Phrynes facinora, ad ipsius amicæ dolos pergit : nobis demum, sub carminis fine (v. 45-54), posita ante oculos pergrata molestiarum amatoriarum descriptione.

El. 5, quam seriei tenemus postremam, in honorem Messalini, Messalæ filii, condita est, nuper in Quindecimvirorum collegium cooptati. Cujus cum jam munus fieret sybillinos libros tractare, poeta, rite ab Apolline vate exorsus, in Sybillis diutius commoratur, nunc splendida vaticinia referens quæ

de Urbis gloria Æneas olim audisse dicatur, nunc immania quædam prodigia in hodiernos dies a Sybillis prænuntiata. Subsequitur lepidissima, necnon longa, feriarum agrestium descriptio. Nemesis tunc primum occurrit, cui etiam non amplius quam tria disticha (v. 109-114) tribuuntur; quorum quidem unus versus ob exquisitiorem sensum apprime notandus : Jaceo saucius, inquit,

Sed faveo morbo, tam juvat ipse dolor.

At statim relicto amore, rursus in Messalini, in Messalæ patris laude consistit carmen. — Quod si totum spectas, non potes quin animadvertas quamdam hujus elegiæ cum el. II, 1 cognationem, quasi consulto Tibullus curaverit ut prima supremaque seriei elegia sibi invicem responderent; ut enim in illa Ambarvalia, sic Palilia in hac celebrantur; ambæ Messalæ invocatione ornatæ; utrobique etiam paucissima de amore, eaque iisdem ferme verbis (cf. el. II, 1, v. 70, 79, 81 sq., et el. II, 5, v. 105-108) expressa ; utrobique vix Nemesis apparet.

Ceterum hæc el. 5, quanquam forma tam incondita lectorum lædit oculos, nihilominus egregio nobis indicio est quonam evasisset, si mors pepercisset, Tibullianum ingenium. Jam animo frigidior sed firmior, jam summæ artis compos, poeta amorem for-

san neglexisset, majora, Propertii instar, cecinisset. In ultima saltem elegia, hujusmodi sunt versus quos de Romæ magnitudine condidit (39–64), ut Fridericus Gruppe non immerito potuerit declarare, vix clarissimos latinorum vatum, imo vix Lucretium tam grandia unquam esse effatum.

CAPUT V

De Tibullianæ poeseos indole et artificio. Conclusio.

Nunc, rite recognitis Albii amoribus, habemus unde Tibullianæ poeseos summa æstimetur : quo sane poeta in latinis litteris ampliora quædam et elatiora ingenia fuere, nullum omnino suavius aut venustius commemores. Equidem, sententiarum nec copia nec varietate præclarus, Tibullus gyro continetur exiguo : partim rus, partim amor causam canendi suppetit, ambæ autem res ita contextæ, ut non vicissim subeant, sed fere coalescere videantur in unum (1). In hujus autem curriculi angustiis, mirum quot et quanta perfecerit.

Etsi plerisque Romanorum scriptorum natura in-

(1) Præter el. I, 10, quæ in uno rure versatur, el. I, 7 de Messalæ natalicio, quattuor elegiæ de Delia (I, 1, 2, 3, 5) et tres el. de Nemesi (II, 1, 3, 5) plus minus rustici coloris habent. De rure contra siletur in una elegiarum de Delia (I, 6), duabus de Nemesi (II, 4, 6), cunctis de Maratho (I, 4, 8, 9), item in omnibus lib. IV elegidiis, sive de Sulpicia, sive de Glycera (IV, 2-6 et 13, 14).

situm est rem rusticam fovere, Tibullus bucolico agrestique studio tam feliciter indulget, ut quotiens tuguria, pecora, nemora, messes, vindemias, pagana festa celebrat, unum Vergilium mihi parem habere videatur : adeo apud utrumque reperitur lepida ruris pictura, adeo dulce rusticæ vitæ præconium, vitæ autem omnibus feritatis sordibus exutæ et ad poeticam quamdam innocentiæ simul et felicitatis speciem conformatæ. Necnon hoc Tibulli « flebile nescio quid » finitimum tenero illi subtristique animo Vergilii versibus infuso ; quanquam hoc discrepat, quod Vergiliana misericordia, alienis hominum, animalium, imo rerum laboribus excitata, in universam naturam redundat, Tibullo proprii dolores enarrantur, semper amatoriis curis exorti.

Amor enim, cum sæpius eroticis auctoribus tristis, tum Tibullo præsertim perennis ærumnarum fons habetur. Luctus in præsentia semper; felicitatem, siquam sibi fingit, vel præteritam desiderio, vel spe futuram assequitur. In dolendo autem ubique varius, acer, sincerus ; et jure priscus quidam criticus : « Vere, inquit, amantem agit ; modo superbit, modo supplicat, annuit, renuit, minatur, intercedit, dedignatur, devovet, orat, inconstans est, quod voluit non vult, quod optavit refugit, secum dissidens, ut in vera cupidinis rota illum circumagi credas (1). »

(1) J. B. Pius, *Annot. poster.*, *cap.* 115.

Quod etiam clarius apparet, si Deliæ amans confertur cum ceteris latinis elegorum magistris. Quippe Ovidius in Amorum libris vilem plane futilemque materiam facillimi ingenii lusibus adornavit, multis cum salibus dicendique luminibus lasciviam celebravit, non amorem. Et ipsum apud Propertium, quem plurimi Tibulli habent rivalem, etsi firmioribus nervis, masculo quodam ardentique spiritu præstat, nihilominus desideratur altitudo illa cupidinis et affectuum subtilitas qua maxime Tibullus insignitur; sæpius quoque nimia doctrinæ ostentatione ac sedula exemplarium Græcorum imitatione (1) — quod non pariter in Tibullo notes nuda fucatur natura. Itaque unus videtur is esse Catullus, qui vi et ingenuitate affectuum Tibullo æmuletur, ambo alioquin in amando quam diversissimi : alterius enim violenta violenter cupido declarari, huc illuc erumpere ac persultare cruciatus animus, subi-

(1) Non sine aliqua miratione audimus Propertium in el. IV, 1 (ed. Haupt), invocatis Callimachi et Philetæ manibus, hæc jactare

Primus ego ingredior puro de fonte sacerdos
Itala per Graios orgia ferre choros.

cum antehac elegos Catullus, Gallus, Tibullus præclaros scripsissent. De quo doctus vir G. Boissier (*Properce et Tibulle*, in *Revue polit. et litt.*, 1886) non inscite opinatur Propertium se *primum* propterea dicere potuisse, quod Tibullus et ceteri metro a Græcis quidem deprompto nova et propria cecinissent, ipse vero diligentius Alexandrinorum poetarum scripta æmularetur : unde erotica Tibulli carmina magis amantis, Propertii magis artificis esse constat.

tis clamoribus dolor levari; alter perpetuo languere, in molles querelas lentosque gemitus effusus.

Illi autem eximiæ sentiendi rationi ars et perfectissima accedit. Ea est in Tibullianis carminibus stili indoles, ut nullum plane pulchrius monumentum supersit aureæ latinarum litterarum ætatis. Ubique enim sermo verborum tum proprietate, tum urbanitate eximius, mirum in modum simplex, perspicuus, necnon floridis coloribus usque distinctus. Poeta ceterum in usurpandis figuris parum creber : nisi apostrophe interdum utitur, non ita raro antithesi, imprimis autem et multum anaphora, ad quam mirabiliter inclinare videtur ingenium.

Quod ad versificandum attinet, nemo subtilior judex dubitabit quin Tibulliani elegi, quemadmodum a scabris rudibusque Catulli elegis, non secus discrepantes a fluidis ac nimium tersis Ovidii, — periti admodum versificatoris, at fastidium ob uniformem elegantiam parientis — ipsum pulchritudinis fastigium adepti sint. Quippe apud illum carmen continuo numerosum et lene; raræ elisiones (1); miranda dactylorum spondeorumque temperatio, cæsurarum variatio, rythmi et sensus harmonia; denique modesta quædam licentia, qua, neglectis interdum communibus metricæ elegantiæ præceptis

(1) Bis tantum occurit productæ et correptæ συνεκφώνησις : I, 2, 89 (*Vidi ego*) et II, 1, 41 (*Illi etiam*).

(vide trisyllabas pentametri clausulas vel hexametros post quintam arsim casos [1]), velut aliquid umbrarum insinuatur inter reliqua lumina. Insuper plura notanda, Tibullo in condendis aggregandisve versibus propria, quæ quidem maxime artis poeticæ antistitem denuntiant. Primo, cum et ceteris elegorum latinorum scriptoribus solitum sit in medio versu epitheton collocare, nomine eumdem concludere versum, quod aliquando efficit extremæ utriusque hemistichii syllabæ consonantiam, Tibullus lubentius etiam, ni fallor, et frequentius hoc utitur : unde fit ut rei colorem aut figuram mens lectoris sæpe apud eum antecapiat, priusquam ipsam rem intueatur, utque (tanquam animadvertit ingeniosus vir Gruppe) gratissimum ænigma tibi proponatur in priore hemistichio, quod sub fine tantum posterioris explicatum habeas. Multa præsto sunt in sola el. I, 1 specimina :

Divitias alius *fulvo* sabi congerat *auro*,
Et teneat *culti* jugera multa *soli*.

(v. 1 sq.)

---

(1) Cum elegiarum Tibullianarum summa (non habita lacunarum additamentorumque ratione) 692 distichis constet, 23 pentametri reperiuntur qui in trisyllabum vocabulum desinunt, et 4 hexametri post quintam arsim cæsi. — Nota obiter hexametrum spondiacum penitus apud Tibullum deficere.

Ipse seram *teneras* maturo tempore *vites*,

. . . .

Præbeat et *pleno* pinguia musta *lacu*.

(v. 7, 10)

Dona nec e *puris* spernite *fictilibus*.

(v. 38)

Et dominam *tenero* detinuisse *sinu*.

(v. 46)

Dicere nec *cano* blanditias *capiti*.

(v. 72)

Totius autem distichi ea structura fere est, ut hexameter « dux et magister » (1) habeatur, pentameter hujus sensum producat et amplificet, sive anaphora sive antithesi aliqua ; sæpius enim geminatur plus minus variata in altero versu sententia, sicut ex his apparet (2):

Me retinent vinctum formosæ *vincla* puellæ
— Et *sedeo duras* janitor *ante fores*.

. . . .

Te spectem, suprema mihi cum venerit *hora*,
— *Te teneam moriens* deficiente manu.
Flebis et arsuro positum me, Delia, lecto,
— *Tristibus et lacrimis* oscula mixta *dabis*.

(I, 1, v. 55-62)

(1) Luc. Mueller, in præf. ed. Tib. (1874).

(2) Hic et in ceteris exemplis elegia I, 1 potissimum uti visum est, neque extra librum primum, utpote perfectissimum, excurrere.

Nam *posita est* nostræ *custodia sæva* puellæ,
— *Clauditur* et *dura* janua fulta *sera*.
(I, 2, v. 5 sq.)

Non ego *tellurem genibus perrepere supplex*
— Et *miserum* sancto *tundere poste caput*.
(*Ibid.*, v. 85 sq.)

interdum quoque contrariæ sententiæ oppositione illustratur, v. gr. :

Tum vitula innumeros lustrabat cæsa *juvencos*,
— *Nunc agna exigui* est hostia parva soli.
(I, 1, v. 21 sq.)

Interea, *dum fata sinunt jungamus amores* :
— *Jam veniet* tenebris *Mors* adoperta caput.
(*Ibid.*, v. 69 sq.)

Semper, *ut inducar, blandos offers mihi* vultus,
— *Post* tamen *es misero tristis et asper*, Amor.
(I, 6, v. 1 sq.)

At ne quid rigidius æqualiusve perpetuus ille παραλληλισμός elegis induat, sollers Tibulli cavet ingenium : namque ambo versus sæpissime non simpliciter συμμετριάζουσι, sed et intimis articulis cohærent, nunc hexametri sensu in primos pentametri pedes, alias pentametri in hexametri ultimos trajecto ; ut hic perspicue cernitur :

Flebis ; *non tua* sunt duro *præcordia ferro*
Vincta, — *neque* in tenero stat *tibi corde silex*.
(I, 1, v. 63 sq.)

Tu manes ne læde meos, sed *parce solutis*
Crinibus, — et *teneris*, Delia, *parce genis*.
(*Ibid.*, v. 67 sq.)

vel etiam illic :

Quid tua nunc *Isis mihi*, Delia, — *quid mihi* prosunt
Illa tua totiens *æra* repulsa manu ?
(I, 3, v. 23 sq.)

Ipsæ mella dabant quercus, — *ultroque ferebant*
Obvia securis *ubera lactis oves*.
(*Ibid.*, v. 45 sq.)

Postremo nequaquam sine lege disticha inter se conseruntur, verum Tibulli est ea plerumque triplici serie conectere; quod primo obtutu apparet, exempli gratia, in el. I, 1 v. 59-64 (*Te spectem* — *Flebis* — *Flebis*), el. I, 2 v. 7-12 (*Janua* — *Janua* — *Et mala*) et v. 17-22 (*Illa* — *Illa* — *Illa*), el. I, 3 v. 89-94 (*Tum* — *Tum* — *Hoc*), el. I, 5 v. 11-16 (*Ipse* — *Ipse* — *Ipse*) et v. 65-70 (*Pauper* — *Pauper* — *Pauper*), el. I, 6 v. 81-86 (*Hanc* — *Hanc* — *Hæc*), el. I, 10 v. 45-50 (*Interea pax* — *Pax* — *Pace*), etc.; quod imo perspicitur ex integro elegiæ I, 2 tenore, quæ inde a v. 35 usque ad v. 70 continuo in terna disticha dividi potest.

Ita efformatis singulis carminum partibus, non minorem admirabimur in iisdem disponendis oppo-

nendisque et in toto ponendo artem. Præcipuarum saltem elegiarum unaquæque (si quamdam e musica similitudinem ducere licet) quasi integra *symphonia* est, flebilibus semper ac suavibus modis incipiens; exinde diversæ subeunt modulationes, inter quas recurrit identidem primarium thema, luculenter variatum. Dum autem mærorem et lætitiam, spem et metum, funera et vitam vicissim audis exprimi, nihil unquam abrupti, nihil dissoni in contrariorum oppositione offendit, sed quam lenissimo transitu aliud ex alio, perinde ac si fluctum fluctus pellat, exoriri videtur. Ascendit ergo et descendit, tumescit et sedatur melos, donec, pacato sensim affectuum tumultu, in pleno perfectoque concentu quiescit.

Quod si animum advertamus exquisitam illam naturæ artisque temperiem, qualis vix alibi quam apud purissimos Græcorum auctorum reperiatur, accedente etiam innato quodam et intimo lepore quo poetæ omnium ætatum perpauci æque nituerunt (1), nec Quintiliano contradicemus declaranti sibi inter latinorum elegorum conditores « maxime tersum et elegantem videri Tibullum », nec Suetonio eumdem opinanti « principem inter elegographos tenere locum »; et una demum cum Sigmundo Teuffel (2)

(1) Quocirca Vergilius potissimum nostratesque Racine et Lamartine cum Tibullo bene conferri possint.

(2) *Loc. cit.*, 3 (*Tibull's Kunstart*).

sentiemus Albium « non modo maximum fuisse poetam, quem nemo in romanis litteris ingenii novitate, artis concinnitate, affectus altitudine superaverit, sed etiam singularibus præditum illecebris, apud quem vel recentior lector se mox et sine labore admodum intimum faciat ».

Hactenus de poesi Tibulliana. Ut vero jam, omissis rebus ad poetæ vitam pertinentibus, colligantur breviter quæ hisce pagellis disquisita sint, concludere videtur :

1° Continuo post el. I, 10, imprimis conscriptam, Deliam, nuptam puellam, a Tibullo celebratam esse quinque elegiis ; iis quidem legendis secundum ordinem : I, 1, 2, 3, 5, 6, unde legitima pendeat totius fabellæ explicatio.

2° Deinde in Marathum puerum tres el. I, 4, 8, 9 conditas. — Paulo post Sulpiciæ et Cerinthi (Cornuti ?) amores quinque elegidiis (IV, 2-6 ; præterea II, 2) adumbrari cœptos.

3° Eadem propemodum ætate elegidia IV, 13 et 14 conscripta de ignota quadam amica, quæ Horatianæ Glyceræ probabiliter assimuletur.

4° Tandem succedere quinque el. II, 1, 3, 4, 6, 5 de Nemesi, suprema amica ; quæ quidem carmina,

propter poetæ obitum ultima certe manu carentia, amici non sine pluribus interpolamentis ediderint.

Omnium autem elegiarum ordo et tempora facilius in hac tabula conspicientur :

Pers.	Eleg.	An. U.C.	Pers.	Eleg.	An. U.C.
	I, 10	...724.	Sulp.	IV, 2-6	
Delia	— 1			II, 2	
	— 2		Glyc.	IV, 13	...729-732 ?
	— 3	...725-727.		— 14	
	— 5		Nemesis	II, 1	
	— 6			— 3	
	— 7	...fin. 727.		— 4	...733-735.
Marathus	— 4			— 6	
	— 8	...728-729 ?		— 5	
	— 9				

Talem carminum seriem, præter eximiam delectationem quæ inde a litterato quoque percipitur, non mediocriter et Romanorum morum historiæ et affectuum humanorum scientiæ prodesse, neminem fugit. Nempe hic habes luculenta personarum docu menta, quæcumque illis reipublicæ Romanæ temporibus amari solebant, quum Delia nuptæ mulierculæ, Marathus delicati pueri, Sulpicia puellæ nobilis, Nemesis vulgatæ meretricis tibi speciem re-

ferat; insuper in ipso Tibullo, sive Deliam, sive Glyceram amat aut Nemesim, præcipuos amoris habitus coloresque perspicere queas, nunc teneram credulamque adulescentiæ simplicitatem, nunc turbidos serioris ætatis ardores, tandem lascivam veterascentis animi libidinem. Atqui ad illa intellegenda sentiendaque si quid forte hæc dissertatiuncula contulerit, quantulumcumque sit, operæ quidem pretium me fecisse arbitrer.

FINIS

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,

Nonis januar. ann. MDCCCLXXXVII.

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus

A. HIMLY.

Typis mandetur,

Academiæ Parisiensis Rector

GRÉARD.